



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Liber Tertius. De insignibus revelationibus, quibus illi Deus manifestavit
suam Divinitatem ac Trinitatem Personarum, æternam Beatitudinem &
modum ad illam pertingendi per crucem, cum raris gratijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580



LIBER III.
MIRABILIS VITÆ
VENERABILIS VIRGINIS

MARINÆ
DE ESCOBAR.

De insignibus revelationibus, quibus illi DEUS manifestavit suam Divinitatem ac Trinitatem. Personarum, æternam Beatitudinem, & modum ad illam pertingendi per crucem, cum raris gratijs.

Sequentes Revelationes pertinent ad Majestatem DEI unius in Essentia, & Trini in Personis, in cuius visione consistit Gloria & Beatitudo Sanctorum, ac proinde sunt optimè connexæ, ut per semet mutuo innotescant, simulque Regia via Crucis ac tolerantia magnarum afflictionum, quæ pervenitur ad fruitionem huius gloriæ. Quæ omnia hæc Venemibilis Virgo divinitus non solum utcunque cognovit, sed etiam delibavit, & experientiâ comperit, ut eorum, quæ videbat, miris prorsus fieret participis modis, qui referentur.



CAPUT

CAPUT I.

Quomodo illi DEUS ostenderit immensitatem.

Divinæ Essentiæ, ac suarum Divinarum perfectionum: quàmque sit incomprehensibilis à suis creaturis.

Ro fundamento harum Revelationum iuravit referre, quòd Venemibilis Marina in prima earum hunc in modum proponit. Revocavit mihi in memoriam Dominus illos Seraphinos, qui duabus alis tegebant capita, & alijs duabus pedes, atq; una, quid hoc significaret; & vidi clarissimè totam Majestatem DEI, ut ità dicam, à tergo, adeò ut fuerim vehementer consternata, contemplando tantam gloriam, qualis mihi ibi apparuit. Erat ea res inusitata, quàm quæ mihi unquam acciderit. Neque verò ego miserabilis ausim aliud dicere, quàm fuisse à me visam totam DEI Majestatem. Unde quisque intelligat, quidnam viderit, quæ id vidit.

Hac visio fuit similis visioni Moysis, cui dixit DEUS: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Quia quantumcumque magnus sit in contemplatione gustus, nunquam tamen in hac vita mortali, de lege ordinaria, ullus videt DEUM facie ad faciem, eà claritate, quàm videtur in caelesti gloria, sed alià visione minore, tamesi respectu obscura fidei vocetur clara, quòd est, videre illius posteriora. Atque hunc in modum sunt intelligenda sequentes visiones.

§. I.

Dum, inquit, quadam nocte agerem cum DEO, dixit mihi ipsius Majestas: Amica, visne venire mecum, quo te ego ducam? Et nescio, qualem mihi tunc audaciam, quam non soleo habere, DEUS indiderit, cum qua statim respondi: Ità, Domine; ità Domine. O quàm volo ire tecum! Dominus autem tacuit, & ego etià silui, animadvertendo, quòd tantum in me sentirem naturalium virium defectum, ut mihi non viderentur suffecturæ

ad acceptandam gratiam, quam mihi Dominus volebat præstare. Paulo post iterum mihi Dominus dixit: Visne tandem venire mecum? Veni igitur feliciter, Amica, & noli timere. Tum illi dixi: Ità, Domine; quid enim potest felicius aut melius accidere meæ animæ, quàm vivere, & mori in tuis manibus? Subitò se moverunt multi Angeli, illic præsentés, coram Christo Domino, qui propius me stantibus præcepit, ut me constituerent in eo loco, & eo modo, quo scirent ipsum velle. Et ecce in momento fuit extractus quidam instar nivis candidus suggestus, speciem referens sellæ, ubi me collocaverunt, tectam etiam candidissimo velo, instar pallij. Et cum oculis animæ meæ me ipsam intuerer, vidi me esse ligatam quibusdam vinculis, quasi cingulis, in duobus vel tribus locis; atque dum id mirarer, concepi desiderium intelligendi mysterij istorum vinculorum, quod penetrans Dominus, manifestavit mihi, id fieri, ut intelligerè, quod speciali suo auxilio esset conservaturus naturæ meæ imbecillitatem; nè deficiam, nève disrumpar, propter vehementiam & volatum spiritus, quo brevi eram abripienda. Hoc factò, illi sancti Angeli me circumdederunt, & præcedente Domino Majestatis, tulerunt quàm altissimè, permeando quasi omnes cælos, posueruntque me ad littus cujusdam immensè Maris, quod erat Magnitudo, Bonitas, Sapientia, & Essentia ipsiusmet DEI, atque præsentè Majestate Christi JESU subitò me illuc injecerunt, & anima fuit submersa ac perdità in illo immenso mari Divinæ caliginis, ac Essentiæ illius incogniti & incomprehensi DEI. Quale sit hoc secretum admirabile, quod intercedit inter DEUM & animam, atque istam Magnitudinem DEI, qui ibi cognoscitur, nec suppetunt verba, neque reperitur ullus creatus intel-

lectus, qui possit sufficienter declarare. DEUS det, cui voluerit, ut id experiatur, & agnoscat ita esse. Fuit porro opus ipsius, quod ibi non manserim, nec anima sit separata à corpore, cum fuerit ingens & vehemens excessus illius Divini operis in anima. Hæsi immerfa in eo immenso mari per aliquod tempus, quod ignorabam fuisse tam longum; ac deinde me extraxerunt ad littus. Voco autem littus, egressum ex hac immensitate, non quod ibi viderim mare, vel littus, aut aliam speciem corpoream. Quievi modicum in hoc littore, ut quasi aliquantum respiraret natura, & injecerunt me secundo majore impetu ac vi, adeo ut longè magis fuero perdita, & submersa in illa Divina Essentia, quam prius. Postea me rursus extraxerunt ad littus, cum longè majore periculo, meâ opinione, nè penitus deficerent vires naturales, si illas DEUS non conservavisset. Iterum ibi modicum quievi, uti prius, & continuo me injecerunt tertio, sicut alijs vicibus: Voco verò injicere modum quendam singularem & admirabilem, quem habet DEUS, & sancti Angeli, intromittendi animam in immensitatem Divinarum Perfectionum, non quod illa injectio sit instar corporea. In hoc immenso mari mansi aliquo tempore, etsi nesciam quantum fuerit; sed hæc vis & submersio fuit minor, quam duæ priores, ideoque non sum tantopere debilitata. Postea acceptâ benedictione à DEO, illi sancti Angeli, qui me eò attulerant, me reportaverunt ad locum mei lectuli, eodem modo, eademque ratione, quâ me abstulerant. Et quando mihi fui restituta, sentiebam ingentem debilitatem, ac vehementer mirabar, tantumque attollebam oculos, aspiciendo illos sanctos Angelos, cum aliquo dolore, quamvis me conformarem Divinæ voluntati, quod me viderem in isto exilio. *Hæc visio continet id, quod est summum in scientia mystica, quodque magnopere exaggetur Sanctus Dionysius Areopagita, & vocat ingressum in Divinam Caliginem, in Divinam quandam obscuritatem immensam & non cogniti DEI: non quod in hoc mptu non habeatur ingens lumen & cognitio DEI,*

sed quia cognoscitur esse tam immensa ipsius magnitudo, & tam incomprehensibile id, quod in illa reperitur; ut quidquid concipitur, videatur obscuritas, tenebra, atque ignominia Essentia Divina; & quia DEUS non cognoscitur, sicut est, nec potest cognosci, quoad videatur in Cælo, per clarum lumen ipsius glorie. Propterea etiam fuit injecta tertio in istud immensum mare; quia naturam debiliem nequit unâ vice cognoscere, quantum illi manifestatur: sed neque hoc ipsum potest absque speciali DEI gratia. Quia præterea fuit injecta tribus vicibus, voluit ipsam etiam toties alligari illi sublectio, quod indicavit, quod ipsam quâvis vice esset adjuturus, ne deficeret viribus.

§. II.

Sed quia medulla hujus cognitionis & mptus consistit in unione Spiritus cum DEO, videbimus, quomodo id fiat, in alia admirabili visione, quam habuit aliquando post præcedentem. Dum, inquit, aliquando agerem cum DEO, deliberans de desiderio, quod habebam valde ardens, permittendo me tamen Divinæ dispositioni, emigrandi ex hoc exilio ad cælestem Patriam, vidi venientes ad me cum quadam latitia, & gravitate, atque aliquafestinatione, quatuor sanctos Angelos, qui mihi dixerunt hilari vultu: Soror nostra, adferimus tibi bona nova à DEO. Hoc audito, derepentè, quamvis essem intenta prædictæ cogitationi, natura se aliquantum exeruit, & fui nonnihil turbata, quia existimabam esse nova, quod me DEUS vellet hinc auferre: sed sancti Angeli intellecto eo, quod agebatur in meo corde, quamvis fuerit quasi momentaneum, dixerunt mihi: Noli timere, Soror, nam causa nostri adventus, non est id, quod tu cogitavisti, sed quia DEUS tibi vult præstare unam ex summis gratijs, quas unquam præstitit puræ creaturæ. Et postquam hoc dixissent, ipse DEUS circumdedit totam animam meam quodam lumine, contulitque illi specialem cognitionem infinitæ suæ Magnitudinis, & plenitudinis suæ Omnipotentia ac Naturæ Divinæ, quâ omnia

nia complectitur, & replet: fuitque unà abrepta in hanc Divinam Essentiam, per fortissimam ac potentissimam unionem, atque ab eodem Domino ducta ad cœlestē Jerosolymam, ubi intra exiguum temporis spatium, ut mihi videbatur, ipsi fuerunt ostensi & patefacti mysticè thesauri Archivi Sapientiæ, Magnitudinis, Omnipotentia, Immensitatis, Misericordiæ, & Bonitatis nostri Magni DEI, ac Domini. Postquam autem vidisset hæc tanta magnalia, ducta est ad illud immensum mare Divinæ Essentiæ, ibique projecta in illud profundum & infinitum pelagus, ubi fuit submersa, obruta ac perdita penitus, ut ignoraret se ipsam, neque sciret, aut intelligeret de hoc immenso mari Divinæ Essentiæ aliud, quàm: *Amplius est, quàm hoc, amplius est, quàm hoc*, quod non comprehendebat. Immersa enim huic Divinæ caligini, dum illius aspectum effugiunt tantæ DEI perfectiones, quibus tamen quodammodo innatat, nescit explicare, quid videat, sed solum dicere: Vidi arcana DEI grandia, tremenda, & admirabilia, quæ nec ullus intellectus potest assequi, neque lingua exponere. Postquam mea anima in hoc mentis excessu mansisset aliquanto tempore, neque enim scio, quàm diu duraverit, fuit extracta ad littus hujus maris; & inde secundo ducta ad Archivum Divinorum thesaurorum Domini DEI nostri, ubi illi fuerunt ostensi per Divinam illustrationem & communicationem thesauri illic inclusi, sicut primò, atque hinc rursus est ducta ad illam fortem, potentem & admirabilem Unionem cum DEO Domino nostro, quæ fuit similis primæ, ita ut descenderit per eosdem tres gradus mysticos, per quos à DEO fuerat elevata, ac educta: quia ab Unione ascendit ad Archiva Divinæ Sapientiæ & Omnipotentia, atque inde ad immensitatem Essentiæ Divinæ, unde descendit ad eadem Archiva ac thesauros, & postea ad eandem unionem cum suo DEO. Post raptum admirabar ea magnalia, agens DEO magnas gratias per id, quod est in se ipso, & per id, quod est pro nobis suis pauperculis creaturis, neque minus sui humiliata, quòd tam parum re-

sponderem tantis miserationibus. Angeli autem venerunt ad me, & me confortaverunt, quia eram debilitata, & perfusa sudore.

§. III.

Aliam similem visionem habuit, in qua distinctius omnia proponuntur, & excellentior continetur doctrina. Post permolestè transactâ (in Martio anni 1615.) inquit, noctem unam ac diem, oppressa à doloribus, quasi horâ sextâ vespertinâ adverti meam animam à DEO commonefieri, quòd illi esset præstiturus quandam prorsus extraordinariam gratiam, & incepti me ad eam præparare, petendo à Divina Majestate lumen, ut me in omnibus sanctissimæ ipsius conformarem voluntati, conabarque me modicum abstrahere ab ista inspiratione. Post septimam, vel octavam noctis horam me vehementer afflixit ingens sitis, & cum viderem adesse meos Dominos Angelos, nesciens quid loquerer, dixi illis: Mei Domini, patior ingentem sitim, si ipsi mihi præberent aquâ, ego illam susciperem. Quamvis autem hoc dixerim, non desiderabam mihi ab illis exhiberi istum favorem, sed nescio, quomodo id dixerim. Responderunt mihi subito peramanter: Quàm libentissimè tibi illam dabimus, & erit aqua talis, quæ recreabit, & corroborabit tuam animam, ac satisfaciet tuæ indigentia. Hoc audito, plurimum obstupui, & cum conticuissem, quia hoc non ideò dixeram, illi Domini etiam siluerunt; paulò verò post iterum me sunt alloquuti, dicendo mihi: Noveris, nos venire nomine DEI, & ipsius jussu, ut te ducamus eò, ubi tuæ siti satisfacias, quæadmodum diximus: Veni nobiscum, Soror. Et appropinquantes meæ animæ, abstraxerunt ipsam à sensibus, quæ se reperit ante cœlestem Jerosolymam, ubi circa illam vidit vastissimum, pellucidissimum, pulcherrimum fluvium, cujus litus erat valdè umbrosus, & amœnum, ac repletum sanctis Angelis, qui adhibitis instrumentis musicis, admirabiliter canebant: *Gloria in Excelsis DEO*. Ex hoc fluvio hinc & inde fluebat, quasi per quosdam

cana-

canales, & veluti rivulos, illa cœlestis aqua, ac decidebat ad terram, irrorabátque magnam ipsius partem, & suis Divinis influxibus ac rore refocillabat, & confortabat animas Justorum. Hæc mea visio diu duravit, postquam fui in momento abducta ab ijs Angelis, & collocata in littore magni illius & mystici fluminis, in quem me deperetè quàm profundissimè immerferunt, ubi mihi fuit communicata magna & extraordinaria cognitio Divinæ Magnitudinis, Omnipotentia, Sapientia, & Immenfitatis. Illi verò Angelici Spiritus mihi subito dixerunt voce aliquantum altâ & cõcitata: *Nõne est amplius, quàm hoc?* Tunc mea anima denuò illuminata, ut cognosceret illud modicum de Immenfitate Dei, respectu infinitorum, quæ illi restabant cognoscenda, ita ut tota absorpta, prorsus oblivisceretur omnium, quæ cognoverat, respondit: *Amplius est, quàm hoc.* Et cum summa admiratione similiter altâ & acceleratâ voce iteratò dicebat: *Amplius est, quàm hoc.* Immerferunt me deinde paulò ulterius in illum fluvium, ubi mihi fuit collatum majus lumen, & cognitio illius Divinæ Essentiæ ejusdemque Divinæ caliginis. Et fui statim interrogata, sicut prius ab ijsdem Angelis, altiore voce: *Estne amplius, quàm hoc?* Respondi, ut prius, eodem modo, postquam longè plura cognovi, magisque fui illuminata: *Amplius est, quàm hoc.* Immerferunt me tertio usque ad fundum ac abyssum illius Mysteriorum, fuitque continuo interrogata ab Angelis, attolentibus semper aliquantò magis vocem: *Estne amplius, quàm hoc?* Mea verò anima magis ac magis illustrata, ampliusque cognoscens Divinum illud Esse, non secus ac initio, quasi nihil eorum nõset, quæ cognoverat, propter infinita, quæ videnda supererant, & cognoscenda, respondit: *Amplius est, quàm hoc.* Tum Angeli extraxerunt meam animam ex illo profundo & mystico mari, elevatamque in altum, tribus adhuc vicibus, & quavis vice altius, quæsierunt eo modo arcano: *Estne amplius, quàm hoc?* Mea quoque anima semper lumine & cognitione majore prædita, jam quasi perdita & submersa in illo Divi-

no Esse, reposuit: *Amplius est, quàm hoc.* tertio verò respondit: *Quàm maxime amplius est, quàm hoc.* Tandem ipsam magis elevaverunt ad quandam infinitam & incomprehensibilem magnitudinem luminis & claritatis, ac immensitatis bonorum, quæ nulla fatis potest lingua explicare aut eloqui, ibique Dominus Majestatis ostendit meæ animæ momentaneè, quasi mihi illucesceret fulgur, vel amotâ cortinâ spectandi exhiberentur maximi thesauri, eademque subito reductâ rursus subducerentur oculis infinitam ac incomprehensibilem immensitatè illius Divini Esse nostri magni DEI ac Domini Majestatis, adeò ut, cum exigua meæ animæ capacitas non posset sufferre tanta bona, quanta in eo momento vidit, & cognovit, viribus deficeret, atque ideò totum meum corpus contremisceret. In eo verò puncto temporis Angeli me apprehenderunt, & confortaverunt in meam debilitate ac deliquio, collocaveruntque in meo angulo.

Propter hæc opera, & miserationes Divinas, quæ his diebus usque adeò continuabantur, & quia ab ijs conscribendis abstinere non poteram, ut idcirco omnium innovaret memoriam (nam DEUS ita mihi ob oculos ponit mysterium, quod à me describitur, ut quodammodo perinde sit, ac si mihi denuò repræsentaretur) ita mihi videor immutata, ut difficulter possim agere cum creaturis, & ulli alteri negotio me impendere. Quando verò ad meolum reversa ex hoc raptu, non solum sedata erat situs mea naturalis, quam fueram passa, verum etiam quasi nauseavi, & quodammodo horruì aquam naturalem, quam bibimus, quod sum aliquot diebus experta, licet perpetuò paterer vehementem sitim, propter ingentes calores, quos sentiebam.

§. IV.

POST hanc visionem DEUS voluit, ut conscriberem contentam in illa doctrinam, & instructionem, quam mihi inspiravit hunc in modum: Quando DEUS animam abalienat à sensibus per extraordinariam ecstasim, & abstrahit atque sub-

mergit

mergit in illa profunda & infinita abyſſo Divini ſei Eſſe, obrutam eâ Divinâ ipſius ac admirabili caligine, ibique abſorptam, tibi nihil ampliùs ſcit, nec intelligit, neque cognoscit de illa infinitate immenſorum, & incomprehenſibilium bonorum, adeò ut ſe ipſum ignoret, atque id ſolum percipiat, quòd *ampliùs ſit quàm hoc*, ſempèrque profundius ac ſublimius plura intelligendò, quaſi ſolicita, nè ſibi in caſſum elabatur tempus, quo illa beatitudo durat, dicit eâ phraſi & ſenſu, quo illic agitur: *Ampliùs eſt, quàm hoc*; iſte ipſe modus loquendi indicat majorem immenſitatem, quàm fuerit præcedens, adeò ut non ſolum cum eo lumine, quod anima accipit, non aſſequatur illam immenſitatem, ſed potiùs inveniat longè ſibi plura & grandiora ſuper eſſe cognoscenda, quàm priùs perceperit, ſeq; magis diſtare ab illis comprehendendis, & ſuum lumen eſſe inſufficiens reſpectu ejus amplitudinis, ac ſe minùs advertit capacem, ut ingrediatur in illam Divinam caliginem, & in illud immenſum, non intellectum, & incognitum penetrale Tabernaculi Beatiffimæ & Sanctiffimæ Trinitatis. Atque ſi aliquando ex Divina diſpenſatione Dominus Majeltatis dignatur amovere momentaneè cortinam à theſauro ſuæ Divinitatis, ſubitòque illam reducere, tanta eſt Divina illius Solis Juſtitiæ lux, quâ irradiatur anima, cui DEUS exhibet hanc miſericordiam, ut ſimul ſit illuſtrata, & cæca, abundetque lumine, & magnâ clarâque ſit prædita cognitione, in hac Divina caligine, adeoque cœleſtium myſteriorum admiratione abripiatur, ut non poſſit loqui, nec aliud dicere, quàm: Vidi arcana DEI, vidi arcana DEI, ac ita à ſe ipſa abalienetur, præ hoc ſtupore, & ob tot

res admirandas, ut niſi interveniret Divina diſpenſatio, in eo momento deſereret corpus exanime, ob vehementem vim illius Divini luminis, quod tum animæ comunicatur.

Ordinaria diſpoſitio, quâ DEUS præparat animam, ut conſcendat prædictum gradum, eſt lumen & cognitio, quam à Divina Majeltate obtinet, ut Divina ejus intelligat attributa, qualia in ſe ipſis ſunt: ita ut, ſicut DEUS, & illius Bonitas eſt ipſamet ejus Deitas, pariterque omnia ejusdem Divina attributa, dum anima ſimul illa cognoscit, colligat totum illum admirabilem theſaurum Divinorum attributorum in eodem Domino Trino in Perſonis, & Uno in Eſſentia, cumque hac infinitate communicati luminis, his gradibus per Divinam diſpenſationem deveniat, prædicto modo in eam illuſtrem & claram cognitionem, intrâ Divinam caliginem immenſi ac incomprehenſibilis DEI, (id enim voco caliginem Divinam; ſiquidem Divina attributa nequeunt clarè cognosci in iſta vita mortali) tantorimque theſaurorum, tam ſecretorum & reconditorum, propter limitatam animæ capacitatem, ut idcirco nequeat comprehendere magnitudinem Eſſentiæ Divinæ.

Hæc ſunt, quæ à DEO juſſa fui ſcribere; & cum perægre valdeq; timidè conſcriberem res uſque adeò profundas, eò quòd ignorarem, an illas ſcirem explicare, ſicut meæ animæ fuerant à DEO imprefſæ, interrogavi meos Dominos Angelos, quis me eſſet inſtrueturus, quomodo talia ſint ſcribenda? Illi verò mihi reſponderunt: Is, qui exiſtit intrâ te, eſtque Divina Sapientia, te inſtruet.

✠ * ✠



CAPUT II.

De alijs visionibus Divinæ Essentiæ, & ad quem gradum pertingat earundem claritas.



Liquot annis post habitas alias duas hujusmodi visiones, cum quibusdam notabilibus circumstantiis. Atq; una doctrinam continet utilissimam: fuit verò talis.

§. I.

Dixit mihi Dominus: (anno 1618.) Anima vehementer es afflicta, veni mecum; ducamque te ad sanctum montem meum, & recreaberis à me in Domo Orationis meæ. Subito fui ducta in spiritu ad altum montem, ubi apparebat totus mundus, illuxitque cœlestis quædam lux instar momentanei fulguris, cujus adminiculo vidi immensitatem Divinæ Essentiæ, plurimum admirans tam immensam Majestatem. Dixit autem mihi statim DEUS: Bono esto animo, quia tibi altius est ascendendum; modicum enim vidisti respectu eorum, quæ tibi videnda supersunt. Et ducta sum ad alium altiorem montem, ubi adveniens alia longè major lux instar fulguris, mihi revelavit eandem Divinam Essentiam clariùs, siquidem tunc vidi multò plùs, quàm antea. Dixitque mihi Dominus: Confortare, quia adhuc te oportet altius ascendere. Et fui continuo ducta ad alium montem altiorem, qui videbatur pertingere ad fastigium supremi cœli, atque superveniente alià luce, per modum fulguris, longè tamen majore quàm priùs, vidi ipsam Divinam Essentiam, & perfectiones Divinas, ac secretissima judicia DEI, obstupescens tantam immensitatem; quin etià DEUS mihi, uniendo me secum, manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Semper tamen intrà me dicebam: O Domine, quàm incomprehensibilia sunt judicia tua,

quis illa poterit cognoscere? Responditque Dominus: Parvuli & humiles corde, qui propter me derelinquunt omnia, & solùm mihi placere fatagunt. Tum dixi: Si ita est, Domine, ego non potero: quia plena sum superbià, neque propter te quidquam derelinqui, nec aliquid facio; necdum enim me posuisti in sterquilinio sicut Jobum; atque si me in illo poneres, nescio quid essem factura. Et Dominus respondit: Exiguam haberes in me confidentiam, nisi cogitares, quòd, si te collocarem in sterquilinio sicut Jobum, tibi esset profutura hæc afflictio; siquidem ego tuis electis immitto afflictiones, juxta mea occulta judicia, sicut mihi videtur, præbendo ipsis auxilia, quibus ad illas sustinendas indigent.

§. II.

Post paucos deinde menses (in Decembri anni 1618.) dum aliquando agerem cum DEO modo ordinario, quòs soleo, dixit mihi Divina Majestas: Anima, quid nunc facis? Vellēs ire mecum? Auditis his Domini verbis, fui mihi quodammodo erepta. Et Divina Majestas mihi iteratò dixit: Anima, considera, an velis mecum ire. Tum, quasi expergileret, redij ad me, vehementer optans comitari meum Dominum, & dixi: Domine mi, ac DEUS mi, eamus, volo enim te sequi. Responditque Dominus quàm amabilissimè: Sit ita, licet, veni mecum. Et mea anima se continuo reperit in illa cœlesti Jerosolyma cum suo DEO, ibique immersa & immersa in illud immensum mare Divinæ Essentiæ, non inveniebat, ubi innateretur, eratque à se ipsa abalienata, & Divinis illis aquis atque tenebris Divinitatis obruta, ubi apprehendendo Divinam Magnitudinem, quantum ipsi erat possibile, non tamen poterat illam comprehendere, eò quòd

quod esset magis ac magis infinita. Sic demeritæ & obrutæ in hac DEI infinitate, ut sibi videretur viribus deficere, Dominus dixit, quasi ipsam alloquendo quàm spiritualissimè: Eja, Anima, noli deficere, confortare, & ascende uno gradu altius. Ascendit mea anima uno gradu altius, sicut dixerat Dominus, ubi illi fuit ostensa maior immensitas ac magnitudo DEI, & quiddam amplius, quàm hoc. Iterum, dixit DEUS secundo: Anima, conscende alium gradum altiore, & noli deficere. Mea anima conscendit aliam maiorem altitudinem Divinæ illius Essentiæ, & obscuræ cognitionis Divini Esse sui DEI, ubi sibi jam videbatur profus viribus destitui, in istis ascensionibus, atque conjunctione cum suo DEO. Subito illi fuit communicatum à DEO clarum & illustre lumen, quo ita erat transformata in DEUM, ut esset similis lucidissimo Soli, sicut dum Sol suo calore ac radijs potenter ferit fenestram vitream, vel clarissimum speculum, ut videatur illud in se transformare, ipsique communicare suum calorem & lumen, ideoque appareat similis Soli. Ex ea Divina altitudine est à Domino deducta per eosdem gradus, per quos cum ipso ascenderat, donec ipsam reponeret in primo, ubi illam secum diverso modo univit, tradiditque Angelis, à quibus fuit deducta ex ea altitudine Cœlorum, & restituta suo loco. Atque licet privata fuerit lumine & claritate, sibi à DEO communicata, per multas tamen horas retinuit accidentia illius Divinæ lucis, nimirum calorem & splendorem.

§. III.

Alia vice (in Majo 1616.) dum dicerem Domino, nè, cum tantam sentiam difficultatem, in declarandis rebus, quæ continebantur in mea anima, mihi communicaret res tam sublimes, respondit Divina Majestas: se potius cogitare de communicandis mihi rebus sublimioribus, ac difficultatibus, quas non possem exponere, id enim se velle, ex suis occultis judicijs. Et hoc dicto me immerfit in profundissi-

mam abyssum suæ immensæ Essentiæ, ubi tam multum vidi & cognovi, ut mihi enarrata hætenus visiones fuerint visæ similes aspectui, quo videtur immensitas maris superficie tenus, ista verò illi, quo aliquis ingressus in profunditatem maris videret thesauros intus reconditos.

His visionibus adeo immutatur animam, ut sibi videatur tota esse alia, & vivere novâ vitâ spirituali, prorsus diversâ ab ordinaria. Sicut, si quæpiam rustica, nata & educata in suo pago, assueta tibus, & pronuntiationi ac moribus ibi usitatis, de repente adduceretur ad aulam, & palatium Regis, atque omnia illam ipsi auferrentur ingeneratâ illi novâ naturâ, & novâ gratiâ, ac modo novo loquendi & intelligendi, penitusque diversâ morum Civilitate; ita suo modo, quemadmodum ego rem ruditer possum explicare, fit in mea anima.

§. IV.

Antequam ulterius progrediamur in istis visionibus, juverit animadvertere quoad id, quod Venembalis Marina subinde dicit, se vidisse clarè Essentiâ & faciem DEI Trini & Unius, ipsam Beatitudinem Sanctorum, & modum, quo se hæc omnia habent, fuisse illam à me interrogatam, an loqueretur de ea claritate, quâ DEUM vident Beati, & S. Paulus illum ex speciali privilegio, ut quidam Sancti dicunt, vidit in suo mptu, an verò id intelligeret de alia minore claritate, licet in se magna, quam compatitur presens status Viatorum mortalium? Cui mea quæstioni scripto respondit, sequentibus verbis: Dico, lumen & claritatem meæ animæ, quâ cognovit ista mysteria, fuisse tantam, quantæ est capax, dum vivit in carne mortali, ita tamen, ut haberim cognitionem valdè distinctam & claram. Bene scio, me idem videre, quod vident incolæ cœlestis Jerosolymæ, tam multum tamen, atque eo modo, quo ipsi id vident, tunc non revelatur meæ animæ: quamvis alias, quando vidi quorundam Sanctorum Beatitudinem, quâ sunt prædictæ illorum animæ, ejusdemque causam, quæ est ipse DEUS, comparando illam

cum eo, quod experior, quando mihi Divina Majestas revelat magnitudinem suæ Divinæ Essentiæ, mihi videretur profus idem, quod illis revelatur. Et verò existimo, me semel atque iterum non procul abuisse, ab illa extraordinaria visionis claritate, de qua Vestra Paternitas loquitur, dū adfert pro exemplo S. Paulum, quando fuit raptus ad tertium cœlum. *Hoc respondit ad meam interrogationem, & cum illi dixissem, ut ageret cum suis sanctis Angelis, an aliquâ tali occasione vidisset DEUM eo modo, quo ipsi illum vident, nunquã reperit opportunitatem id interrogandi, neque enim est in ipsius potestate, conferre cum*

illis, quidquid opatur, eam forte ob causam, quod illam DEUS noluerit magis quonã hoc illuminare, quã dictum sit. Quod verò dicit de visione simili visioni S. Pauli, non asserit tam asseveranter & firmiter, sicut alia; sed cum sit tam magnum illud lumen, videtur esse ipsa claritas gloriæ, quamvis ad ipsam non pertingat. Verum, quia est possibile DEO, valdeq; probabile, collatum fuisse istam gratiam quibusdam Sanctis in hac vita; permitto pro Lectoris affectui, ut iudicet, contuleritne illam isti sua famula, id quod ipsius verba indicare videntur. Atq; si hoc unquam evenit, evenerit in visione Divinæ faciei, qua mox referetur.

CAPUT III.

Quomodo illi DEUS manifestaverit alio modo suam Divinam Essentiam, & Faciem, ac Trinitatem Personarum, & nonnulla sua attributa, atque de modo pertingendi ad tam sublimem communicationem.

§. I.

DUm aliquando agerem cum DEO (in Septembri anni 1619.) vidi me ipsam, & interiora meæ animæ, acsi referaretur porta aliqua clausa, ubi repositæ essent multæ res valde pretiosæ. Quare vehementer obstupescens, conspexi intrâ me omnia mysteria jam descripta, quæ DEUS operatus est in mea anima, & erant digesta quàm ordinatissimè ac elegantissimè. Elevavi oculos mentis, & vidi totam Beatissimam Trinitatem contèplantem attentè, & cum approbatione totum illud opus, ac mysteria, quæ operata fuerunt suâ manu in mea anima: quam visionem multò magis obstupui. Tum dixit Dominus modo quodam mirabili: Bonum est opus, quod peregi in ista anima. Deinde conjecit oculis in meos Dominos Angelos, dixit illis: Adducite ad me istam animam, ducetis enim illam mecum, quò ego vobis mandavero, ut modi-

cùm quiescat, fruaturque me. Et fui subito ab illis arrepta, ac in momento translata ad cœlestem Jerosolymam, & constituta apud radicem magni ac alti montis argenti & auri, ac pretiosorum lapidum, ubi mihi dixerunt: Anima, esto bono animo, hæc enim sursum, per istum montem, quem vides, tibi est ascendendum, nos autem te juvabimus. Accidit mihi id difficile, quia mihi videbatur asper & arduus ascensus, tandem tamen animata à sanctis Angelis incepti ascendere, ipsis adjuvantibus. Perveni ad cacumen illius sancti montis, ubi juxta quosdam altos & mirabiles muros modicum stetimus, quia sancti illi Angelis & meus Custos ægrè poterant, propter meam debilitatem progredi ad majorem & eminentiorem altitudinem. Iterum denique, DEO opitulante, sunt profecti volatum seu ascensum mysticæ, ad quoddam munitissimum, & valde altè castellum, in quo mea anima usque actò fuit absorpta, ut existimaret, se non posse amplius inde abire, destituereturque viribus, in ea DEI immensitate. Postquam hoc

hoc modo fuiffem aliquamdiu compara-
ta, vidi, quòd sancti Angeli adhuc conji-
cerent oculos ad alium altiore afcenfum,
& verò refumentes fuum quafi volatum
myfticum, me deduxerunt ad altitudinè
illarum Divinarum caliginum noftri ma-
gni DEI ac Domini, ubi fui immerfa ac
perdita in quadam infinita immenfitate,
neq; amplius mei eram compos, tantum-
que dicebam: *Amplius eft, quàm hoc: Am-
plius eft, quàm hoc.* Post modicam quietem
fum ab illis ducta ad eminentiorem
altitudinem, dictumque mihi fuit: Con-
fortare anima, quia hic videbis faciem
DEI: Videbatur mihi effe Divinum mi-
raculum, quòd non exanimarer in illa al-
titudine. Tum Dominus subito dixit meis
Angelis: Confortate modò iftam animà.
Et continuo vidi quandam faciem inftar
Solis, fed ità, ut mihi derepentè evanefce-
ret ex oculis, quia mihi non eft vifa com-
paruiffe ultra momentum: ficut, quando
obfcuriffimà nocte emicat fulgur tam luci-
dum, ut in icu oculi revelet ea, quæ funt
in via, ità revelavit DEUS meæ animæ
incomprehenfibilem magnitudinem fuæ
Divinæ & infinitæ Effentiæ, adeò ut vehe-
menter fuerit abforpta, attonita, & quo-
dammodo fibi erepta. Atque in eo mo-
mento peflumiviffet natura, nifi à DEO
fuiffet corroborata; fuit enim iftud opus
majus, quàm dici, intelligi, vel explicari
poffit. Ob hanc vifionem talis meæ ani-
mæ fuit ftatus, qualem fuiffe credi potefl,
cum illi videretur jam effe impoffibile redi-
re deorfum, feu descendere ad terram. In-
terea illam in momento perduxerunt ad
quandam infinitatem altiore, ubi ei effe
à Domino ostenfa quædam fuma claritas,
& lux inacceffibilis, in qua vidit & co-
gnovit magnitudinem Divinorum Attri-
butorum. Erat abforpta, abrepta, & at-
tonita, dum modò hic, modò ibi contem-
plaretur illam Majeflratem, & quidquid vi-
debat, erat DEUS, atque magis DEUS,
& unus folus DEUS, intuebatur quoque
fuos sanctos Angelos, vixque fibi illos vi-
debatur cognofcere. Tunc, nescio quo-
modo, confpexit Majeflratem Chrifti Do-
mini, qui ad ipfam veniebat. Hoc Divi-

no afpectu mea anima fummè fuit exhila-
rata, quia fibi videbatur confpexiffe fuum
Dominum, oriundum ex eadem patria,
& in terris natum. Accessit ad me, dixit-
que mihi valdè affabiliter, & amanter: Es-
ne hic mea Anima? dicagè, quomodo te
hic invenio? Nefciens ego, quid respon-
derem, dixi: Domine, duc me tecum.
Veni huc, mea Anima, repofuit Dominus;
& affumpto meo fpiritu ad fua Divina bra-
chia, cum fuaviffima quadam unione, me
deduxit ex illis altis cacuminibus, nunquã
vifis, aut cognitis. Quia eram mortalis, &
Dominus me volebat relinquere in illis
pretiofis aureis montibus, cum meis fan-
ctis Angelis, reflexi me modicum, & dixi:
Noli Domine, noli me hic relinquere, fed
repone me in loco, in quo me vis effe. Sic
ità licèt, Anima, refpondit Dominus, du-
xitque me Divina Majeflras eo modo, do-
nec me collocaret in angulo mei lectuli.

Per complures mihi dies inhæfit ea vi-
fio, ut quotiescunque loquerer, vel fcribere-
rem, mihi viderer quodammodo effe in il-
lis altiffimis fastigijs, in quibus fueram.
Statim autem ac præterijt myfterium, cõ-
fideravi, quid fignificarent illi alti montes
auri & pretioforum lapidum, quia mihi
tunc DEUS hoc non manifeflaverat.
Dum id cogitarem, dixit mihi Dominus:
Anima, modò tibi dicam, quod optas. No-
veris, illos aureos & gemmeos montes, per
quos afcendebas, & progrediebaris diffi-
culter, quamvis fueris adjura à meis Ange-
lis, ut pertingeres ad illum verticem, & al-
tiffima fastigia Effentiæ Divinæ, quo fuiffi
perducta, fignificaviffe, quòd animæ, pri-
usquam evehatur ad tam altum & felicem
ftatum tam Divinæ communicationis,
fint pertranfeunda, conculcanda, & obli-
vioni mandanda omnia, quæ non funt
purè DEUS, ipfiusque Divinus Amor, ac
beneplacitum, cujuscunque ea fint condi-
tionis, five parva fint, five magna, fubli-
mia vel humilia, naturalia aut fpiritualia,
ità ut nihil aliud magis, quàm DEUM ap-
pretiet, amet, æftimet, ac diligat anima,
fincero & constanti amore, nulli unquam
rei, utcunque bonæ, ne quidem ipfis Divi-
nis donis tantum inhærendo, quantum e-

orundem datori, qui est ipse DEUS. Hi fuerunt aurei montes, per quos oportet ascendere ad cognoscendam altitudinem Divinæ Essentiæ.

§. II.

DUm aliàs manè agerem cum DEO (in Octobri anni 1622.) postquam exegissem noctem unam in gravissimis doloribus, dixit mihi Dominus: Quid agis, Anima? quomodo vales Creatura mea? Et respiciens meos Dominos Angelos: Accipite, *ajebat*, istam creaturam, & collocate in ipsius loco ac sede mystica, quam jam novistis, atque adferre illam ad me. Subitò me posuerunt in ea sella, indutam veste albâ, & coopertam pallio cœlestis coloris. Hoc modo me stiterunt conspectui DEI, qui me abripuit ex ea sede, in qua eram, & univit secum meam animam, intròmissamq; in suam ipsius Essentiâ Divinam, tulit ad cœlestem Jerosolymam, & ex se ipso expositam, collocatamque intrâ illam supernam civitatem, sic est alloquutus: Attolle oculos, Anima mea, & aspice hos Cœlos Cœlorum, istas divitias & thesauros meæ magnificentiæ, ac majestatis. Postquam elevavissem oculos meæ animæ, sicut fueram à Domino jussa, vidi quoddam Divinum & præstantissimum, pulcherrimum ac resplendens Cœlum, totum auro, unionibus, & pretiosis lapidibus, miro ac multiplici artificio exornatû, quod erat intrâ Cœlos materiales, quasi in quodam tabernaculo, ac throno. Et hæc representabant inæstimabiles divitias Magnificentiæ, & Omnipotentæ ac Majestatis nostri magni DEI & Domini. Ista visio duravit aliquamdiu, affecitque summo stupore meam animam, unâque replevit solatio, & Dominus illam continuò reassumpsit in se ipsam, indeque tulit ad quandam magnum & eminentissimum montem, ubi ipsi ostendit Divinam & cœlestem gloriam, exhibendo illi quoddam Cœlum, in quo erat & morabatur ipsemet DEUS, cum magna Majestate. Postquam autem ibi aliquo tempore mansisset, satisque perspicuè cognovisset Divinam Magnificen-

tiam, denuò illam recepit in se ipsum, subitòque transtulit ad amplum & elegans palatium, atque cum eam exposuisset ex se ipso, ostendit illi quàm optime coordinatum, fortissimum, lucidissimum, stupendum & illustre armamentarium, quod significabat, & quàm vivacissimè representabat immensam nostri magni DEI ac Domini Potentiâ, ejusdemque Divinam Justitiâ. Huic iterum visioni mea anima est diu immorata, cum magno stupore suo ac solatio. Deinde illam Dominus derepente in se ipsum reassumpsit, sicut reliquis duabus vicibus, tulitque ad quandam locum magnæ gloriæ, ubi ipsi ostendit mysticum, elegantissimum & pretiosissimum librum clausum, ac signatum septem sigillis, quæ erant ex purissimo & splendidissimo auro. Hic Divinus Liber hærebat in eo loco gloriæ quasi in aère, sustentatus arcano modo, suâ propriâ virtute, & Divinâ potentiâ. Hoc mysterio conspecto mea anima præter omnem morem obstupuit, & repleta est inconsueto solatio, lustrabatque illum omni ex parte, neque unquam avertēbat oculos ab eo contemplando, sed nec avertere voluisset: quia ibi videbat & cognoscebat speciali & cœlesti perfusa lumine, quod illi DEUS ipse communicabat, infinitam Sapientiam, & summam Bonitatem sui Magni DEI ac Domini, quam nulla potest assequi creatura, vel intelligere. Atque hoc significabant sigilla mystica, & clausura illius libri, cui assistebat ipse DEUS. Iste raptus meæ animæ admirabundæ, diu duravit. Deinde illi Dominus manifestavit sublimitatē Chorum Angelicorum, & ab eo illuminata cognovit Potentiâ, Sapientiam, ac Naturam illorum Beatorum Spirituum, unâque gloriam, quâ perfruuntur animæ Sanctorum. Et subitò ipsi dixit Dominus: Veni, Anima, veni, & videbis meam sanctissimam Matrem, quod te summo afficiet solatio. Pervenit eò, ubi erat illa sacratissima Domina, & postquam me coram ipsa prostravissem, sacratissima ista Domina me elevavit perbenignè & amanter, allocutâque est quàm affabilissimè, & amplexata suis sacratissimis brachijs meâ collâ.

collum. Fuit maxima consolatio, quam mea anima percepit ex ista gratia, & ingens lumen, mihi à DEO communicatum, de excellentia, puritate, & gloria hujus sanctissimæ Dominæ nostræ. Mansi aliquamdiu quasi absorpta & sopita in illis sacratissimis brachijs, & quando fui expergefacta, inveni me unitam meo DEO, in illo ipsius Divino Esse, atque Dominus mandavit Angelis, ut me referrent ad meum locelum eodem modo, quo me abstulerant.

§. III.

ALio die (in Junio anni 1622) vidi Majestatem DEI Domini nostri summâ conspicuam magnificentiâ, undique circumdatam quâdam catenâ, quæ erat ex pretiosissimo auro, & in illa catena conspexi totum mundum, omnes res creatas, & meam animam. Vehementer mirabar, quòd viderem talem DEI magnificentiâ, omnesque creaturas unitas huic Domino, suo Creatori, & magnæ ipsius Majestati. Contemplata sum aliquamdiu hoc mysterium, & postea vidi, me illâ grandi catenâ circumdari à Domino triplici circumvolutione tam arcè, ut mea anima fuerit summè conjuncta DEO, penitusque ac totaliter me univerim cum Divina ipsius Essentia, ut per eam unionem quasi cum ejus-

dem Majestate coaluerim. Sic unita mansi satis diu, quoad usque me Dominus paulatim dimisit, & reliquit in eodem statu. Denique agendo alia vice cum DEO, vidi tria elegantissima specula; in duobus erant duæ facies, & in tertio Sol splendidissimus, in quo mihi Dominus per specialissimum lumen manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. In duobus speculis cognovi, quomodo Pater generet Filium, communicando illi totam suam Divinitatem, ita ut sint unus DEUS; in tertio, quomodo Pater & Filius producant Spiritum Sanctum, qui est unus DEUS cum ipsis, deditque mihi ejusdem Majestatis specialissimam secum unionem in his tribus Divinis Personis, durantem multis diebus, quibus continuo intra DEUM manebam.

Ista visio trium speculorum, quæ significabant distinctionem trium Divinarum Personarum, magis declaratur hoc addito, quòd duæ facies repræsentaverint, Filium, per æternam generationem, esse quasi imaginem & similitudinem sui Patris, in sua Divina Essentia, quæ est beatissima Facies DEI; Spiritum sanctum vero, spectatâ ejus Processione non procedere tanquam imaginem Patris & Filij, sed tanquam infinitum ignem amoris, repræsentatum per Solem, quamvis sit idem DEUS cum utroque, & habeat eandem cum ipsis faciem.

CAPVT IV.

De Magnitudine DEI, ut est infinitus ignis, ac de spirituali quadam cum ipso lucta animæ illum tenentis, & nolentis dimittere, nisi ei benedicat.

Mirabiles sunt lucta, & pugnæ spirituales DEUM inter & animam, quæ serivò addicta est orationi & contemplationi, præsertim quando elevatur ad eas cognitiones, & bona tam sublimia, qualia sunt commemorata. Modò anima adheret DEO, & non vult ipsum dimittere, nisi illi benedicat; modò vice versâ tam fortiter est unita DEO, ut tantam unionem

nequeat sustinere, obsecrèq; illum, ut ipsam relinquat ac dimittat; idque modis mysticis, qui deinceps referentur.

§. I.

DUm versarer quâdam nocte coram DEO (in Martio anni 1621.) videbam interruptè quendam magnum & pulchrum campum, in quo stabat valde alta & mirabilis scala, pertingens à terra usque ad cæ-

ad Cœlum, & descende-
bant in illa Angeli DEI, dicebantque mi-
hi: Hæc est scala Jacob. Ego, quia age-
bam cum DEO, modo meo ordinario,
neque memineram talis scalæ, attribue-
bam totum, sicut poteram, imaginationi:
sed in momento me inveni ad pedem ipsius,
cum nonnullis sanctis Angelis. Contem-
plabar illam à summitate deorsum, & ab
infima parte sursum, vidique juxta ipsam
magnæ autoritatis Personam, indutam
vestibus valde pretiosis, & ejus coloris, quæ
habet ardens ignis. Videbatur mihi esse
magnus aliquis Sanctus, & optabam scire,
quisnam esset. Tum accessit quidam An-
gelus ad meam aurem, dixitque mihi: Iste
est quidam sanctus Propheta: Mirabar
hoc audiens, & dicebam tacite: Quid ad
rem facit, videre Prophetam cum scala
Jacob? Tunc mihi dixit Sanctus, mani-
festans se mihi, quis esset, per speciale lu-
men: Anima, ego sum Propheta, nè du-
bites, & veni huc jubente DEO, ut te do-
cerem, quomodo hæc scala conscendatur,
animarumque ad ipsam conscendam,
ac proinde inchoabis ascensum: & quam-
vis videatur arduus ac difficilis; nè timeas,
ego enim, & hi sancti Angeli, hic præsen-
tes, te juvabimus in Nomine Domini. Atque
hoc dicto Sanctus & Angeli me constitu-
erunt in primo gradu scalæ, ac incepit illam
unà cum ipsis conscendere. Ascendebam
lentè cum magno timore, quantoque pro-
gredebam ulterius, tanto timebam amplius
illius altitudinem: videbar enim mihi posse
ruere, nisi à comitibus meis sustinerer.
Hoc modo perveni usque ad Cœlum, quod
statim, ac à Glorioso illius Sancti manu eum
benedictione fuit attactum, patuit, & ap-
paruit in ea cœlesti Jerosolyma quidam
magnus, vehemens, potens & comburens
ignis, ut tota illa cœlestis Patria videretur
ardere, & conflagrare Divino, terribili, ad-
mirabili, immenso, infinito ac potenti
igne, in quo aderat ipse DEUS, & tota
Beatissima Trinitas, se in ea specie ignis
comburentis ostendens meæ animæ, quæ
maximè correpta timore, tremebat. Su-
bito mihi fuit ab eo Sancto dictum: Ani-
ma, intra in gaudium Domini tui, & con-

fide in illo, ac noli timere. Audiens hæc e-
jus verba, incepit magis timere, & tremere,
ac dixi: Quid mihi dicis: quomodo in-
trarem ego, quæ sum debilis ac miserabi-
lis, exiguæque capacitatis, in illam sum-
mam Majestatem, in eum ignem infinitum
& comburentem, in illum DEUM forte-
m & potentem? Nonne animadvertis
à me nequaquam sustinendum tantum,
DEUM, meque interituram, consumen-
dam, & in cinerem redigendam, in ipsius
conspicuum? Anima, agebat Sanctus, noli
turbari, noli languere, vel pigre cære: li-
cèt enim verum sit, DEUM esse fortem,
terribilem, omnipotentem, & infinitum,
est tamen etiam benignus, mansuetus, &
suavis, ac infinite bonus & misericors, hu-
miliavitque se, & factus est parvulus, ut
ipsum anima posset complecti, & eo reple-
re suam exiguam capacitatem. His dictis
fui corroborata, & animata, dixique: San-
cte mi, quid quaeso mihi faciendum est in
hoc ingressu, ecce enim jam eo. Respon-
dit Sanctus: Ingredieris ad tuum DEUM,
& statim ipsum fortiter amplecteris, strin-
gesque, ac dices: DEUS mi, ad te venio,
& in te volo manere, neque te unquam di-
mittam, nisi benedixeris mihi: Tecum
luctabor, mi DEUS, sicut Jacob, donec
mihi benedicas. Et si tibi dixerit in hac lu-
cta: Quid vis, Anima, quid à me petis? re-
linque me, ac dimitte ex tuis brachijs; no-
li propterea desistere à tuo proposito, vel
concidere animo, & esto constans; hoc
namque vult DEUS tuus, & dic illi, quod
tibi dixi, sunt enim verba ipsius. Atque cum
hoc diceret ille benedictus Sanctus, intro-
duxit me suavi quâdam violentiâ in illam
immensitatem mei DEI, & in illum ignem
comburentem, intra quem fui fortiter u-
nita illi summo Bono, quod sum arctè em-
plexa, ibique mihi evererunt ea, quæ San-
ctus dixerat, in illis colloquijs DEUM in-
ter ac meam animam, & in Divino illo ce-
tamine, quod diu duravit, tandemque vic-
tus à sua bonitate, & misericordia, ma-
gnus ille DEUS mihi dixit: Anima mea,
bene certavisti, pro obtinenda mea nova
benedictione, quam tibi ego libenter volo
dare meo nomine, & mei Filij, ac Spiritus
sancti,

sancti, suscipe ipsam. Et dedit mihi suam sanctam benedictionem, dicendo: Benedicta eris anima in Cælo, & in terra, & in omnibus tuis operibus ac desiderijs, ac in quouis loco, & ubicunque fueris, in omni eo, quod toleraveris & possederis, totaque eris in me benedicta. Summo me solatio affectit hæc admiranda misericordia mei DEI ac Domini, & occupata fui à quodam somno spiritualissimo, ac si quiescerem post luctam, & fortem unionem, quam habueram. Deinde me Angeli paulatim reducerunt per scalam, ad cuius finem iterum vidi sanctum Prophetam, ac humi prostrata petivi ab illo sanctissimam ipsius benedictionem, quam mihi ipse peramanter est impertitus, & inde fui ducta ad meum angulum.

§. II.

Aliam luctam cum suo DEO, similem precedenti, habuit sequenti anno, hunc in modum: Cognoscebat, inquit, mea anima DEUM, habito speciali ipsius lumine, amabatque ipsum, & magnâ vi ac fervore volebat amplecti, atque comprehendere totum illud summum Bonum ac DEUM suum, & itâ ei uniri. Luctabatur cum his affectibus, & quia ingentia experiebatur bona, virtutem ac solatium, nolebat ipsum ullo modo dimittere, quantumcunque illum non posset comprehendere, dicebatque suo DEO: Non dimittam te, Dilecte meæ animæ, neque te debeo dimittere, nisi benedixeris mihi. Tum Dominus magni cujusdam & ardentis amoris præferens indicia: Quid petis, aiebat, à me Anima? dimitte me jam, & noli mihi vim inferre. Iterumque dicebat Divina Majestas cum ejusmodi amore: Quid à me vis Anima? vidēsne me hic? amplectere me, & quantum potes, reple tuam vacuitatem. Jam hoc dicebat, jam illud, & anima adhærebat suo DEO, cum quo luctabatur, dicebatque: Non te relinqua, neque dimittam ex meis brachijs, DEUS meus, nisi benedixeris mihi. Dominus autem respondit: Cave tibi, Anima, dimitte me, alioquin te sauciabo, & transfigam cor tuum. Fiat licet, aiebam ego, itâ

mi DEUS, fac, quidquid volueris, de me, quia ego te non dimittam: neque enim aliud scio, vel possum facere. Post hoc se, mea anima sensit transfixam & vulneratâ à suo DEO affectu amoris, quasi quâdam sagittâ, fuitque continuo, cum ingenti solatio, sopita somno quodam spirituali, ac unita suo DEO; & quando evigilavit ex hac Divina communicatione, atque illalucta, vehementer admirabatur talia Divinæ Bonitatis opera.

Benedictio quam anima petit, dum itâ luctatur, & certat cum suo DEO, est plenitudo cognitionis, & amor, quem tam avidè exoptat, & assequi conatur, ut meti nequeat comprehendere omnia quæ vellet, uti expressius apparebit in sequenti visione.

§. III.

*D*um, inquit, agerem aliquando manè cum DEO, fui, cum magno meo solatio, tota comprehensa à DEO, atque itâ in ipso conclusa, ut in amplo spacio loci, quod videbam & aspiciebam, fuerit DEUS, ac amplius DEUS, & ego manserim in medio illius summi Boni, quasi in medio vasti maris, ubi, quidquid videtur & aspicitur, est aqua, & amplius aqua. Postquam itâ fuissem aliquandiu constituta, recessit à me paulatim Dominus, ac dixit quibusdam Angelis ibi præsentibus: Sulcipite istam creaturam, quæ est fatigata, & debilis, ad vestra brachia, ut resumat vires, ac adferre illam huc ad me citò. Sancti Angeli me aspexerunt, & videntes me, adeo debilitatam, quasi dolerent meas vires, ostenderunt se quodammodo confusos, aspicientesque se invicem, contrahebant suos humeros, ac deinde dixerunt ad Dominum: Magne DEUS noster, faciemus, quod nobis mandas; sed debilitas hujus creaturæ nos reddit sollicitos, quia est tanta, ut nisi tu illam confortes, exanimandam putemus in ascensu. Ferte illam ad me, dixit denuò Dominus. Dum autem me vellent excipere suis brachijs, videbatur illis esse difficile, ut me possent movere ex loco, in quo eram, ac si esset, vel posset aliquod esse pondus, excedens eorû

M m

vires

vires. Hunc in modum, me obstupescen-
 re, aliquamdiu ostendebant se illam quasi
 difficultatem sentire. Dominus autem,
 descendit ad locum, in quo ego manebam,
 dixitque illis sanctis Angelis: Relinquitē,
 istam creaturam, quia ego ipsam movebo,
 ac deducam ad me. Illi continuo disces-
 serunt, & accedens Divina Majestas assump-
 sit ad se meam animam, atque diu substi-
 tendo in eodem loco, dignatus est & ipse
 ostendere, me absq; notabili damno diffi-
 culter moveri posse, & elevari, spectatā meā
 debilitate. Post hunc raptum, Dominus
 Majestatis, tulit suā infinitā potentiā meā
 animam in ecstasi, ad cœlestem Jerosoly-
 mam, ubi illi constitutā in secretissimo
 penetrati Divinæ Essentiæ sui DEI fuit o-
 stensum, per lumen quoddam altioris or-
 dinis, & eo modo, quo aliās, Sacratissimū
 mysterium Beatissimæ Trinitatis, illa Pro-
 cessio Divini Verbi à Patre, & Processio
 Spiritus sancti à duabus Divinis Personis.
 Præterea ipsi fuerunt ostensa in hoc ma-
 gno Domino ac DEO omnia principalio-
 ra mysteria nostræ fidei, eorundemque
 valor, quantum anima potuit capere, ac
 DEUS illi voluit declarare, ut sunt, my-
 sterium Incarnationis, Ortus ex Matre
 Virgine, Passio & Mors JESU Christi Do-
 mini nostri, gloriosa ipsius Resurrectio, &
 Ascensio ad Cœlos. In his illustrationibus
 mansit diu, & Dominus ipsam deinde
 quasi à se paulatim dimittendo, posuit in
 manibus quorundam sanctorum Angelo-
 rum, ibi præsentium. Illi, exhibitā ma-
 gnā reverentiā Domino, ipsam suscepe-
 runt, & abduxerunt modicum à Divina
 Majestate, ac inceperunt sensim sine sensu
 elevare, usque dum illam constituerent in
 altissimo loco, ubi admirabunda sustulit
 oculos in altum, & conspexit amplam
 quandam ac eminentem bonorum infini-
 torum immensitatem, vidit immensam
 Potentiam, magnam Majestatem, sum-
 mam Veritatem, & quædam nescio qualia

bona, ac thesauros, quibus pares nunquam
 est contemplata, neque cognovit. Cum
 specularetur istam magnificentiam, ac tan-
 ta bona, incepit illa exoptare, extendebat-
 que procul brachia sursum, ut ea assequeretur,
 & obtineret, plurimumque idcirco
 fatigabatur, neque tamen se poterat red-
 dere ipsorum capacem, nec tanti thesauri
 locum habebant in ejus inanitate; quan-
 roque magis illos aspiciebat, & cognosce-
 bat; tanto ipsi magis evadebant immensi;
 & magis se advertebat esse incapacem ad
 assequendam vel penetrandam magnitu-
 dinem illorum Divinorum arcanorum.
 Sic diu luctabatur, & certabat cum suo
 DEO, donec illam tandem Dominus ma-
 gnarum miserationum, accommodans se
 ipsius debilitati, & impotentiam, in se ipso
 est complexus, instar suavis & accommo-
 datae ejus capacitati Unionis, atque hac ra-
 tione illam paulatim dereliquit in mani-
 bus suorum sanctorum Angelorum, qui
 ipsam susceperunt cum summa admirati-
 one, & cooperuerunt quodam velo, tuleruntque
 ad conspectum Christi Domini;
 cujus Divina Majestas illam intuita est be-
 nignissimis oculis, & cum eam videret ita
 accensam, & quasi ardentem, vehementerque
 sudantem, dixit Angelis: Abster-
 gite hoc velo sudorem istius Creaturæ, &
 confortate ipsam, neque abeat vacua ex
 ista Cœlesti Civitate, ac sine aliquo dono.
 Ego ipse hoc illi dare volo; acceptoque ra-
 mo palmæ ex manu Angeli, qui stabat jux-
 ta ipsius latus aliquantum retrò, dedit mi-
 hi illum, posuitque suammet manu in pecto-
 re, dicendo: Accipe, Anima, istud donum;
 quod ego suscepi cum maxima reverentiā
 & admiratione, venerabarque illud, & ap-
 primebam mihi fortiter. Deinde dixit
 Dominus meis Angelis: Accipite hanc A-
 nimam sic à me exornatam, ac deducite il-
 lam sollicitè, & reponite in suo loco, donec
 adveniat tempus à me constitutum, pro
 ipsius migratione; feceruntque ita.



CAPVT V.

De alia spirituali lucta DEI cum Anima, petente dimitti à DEO, eò quòd non possit comprehendere omnia illius dona, & quomodo ei dederit mylticam clauim, ut ingrederetur, ad cognoscenda ipsius arcana.

Vice versà habuit dissimilem præcedenti luctam, quasi certando cum DEO, ut se dimitteret, eò quòd non possit comprehendere omnia ipsius dona, in gratiosissima visione, qua consigit hâc ratione.

§. I.

SEX diebus ante Pentecosten (anno 1622.) mihi dixit Dominus: Veni mecum anima, & permanebis in meis cœlestibus habitaculis, atque in mea præsentia, usque ad festum Pentecostes, ac tum redibis ad tuum locum, & præstabo tibi novas gratias. Subitò se aduertit mea anima esse in illa cœlesti Patria, & in quadam actualissima præsentia sui DEI, ubi ijs diebus ipsi Dominus multoties per speciale lumen manifestavit sacratissimum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, habebatque frequenter peculiare uniones cum suo DEO, & erat ab illo magnâ vi abrepta, atque per modum cuiusdam plenæ possessionis, ut videretur tota occupata, & circumdata ab eo summo Bono, & sic mansit usque ad vigiliam Pentecostes, quo die sub noctem me inveni in meo locello, sicut mihi Dominus dixerat.

Interea mihi Dominus eam præstitit gratiam, ut me inviseret Sacratissima Virgo MARIA, Domina nostra, solareturque in quadam afflictionucula, & cruce, quam patiebar. Atque ubi ea de re cum ipsa nonnulla contulisset, inveni me in cœlesti Jerosolyma, juxta eandem sacratissimam Dominam, quæ, postquam mihi mandavisset, ut me in eo cœlo prosternerem, dixit ad Majestatem DEI Trini in Personis, & Unius in Essentia: Domine,

& DEUS mi, hic tibi adduco istam creaturam, ut te adoret ac veneretur, atque ut tu Domine isto sanctissimo die illi conferas novas gratias. Faciam, respondit Dominus, attollensque tunc ego oculos animæ, vidi clarissimè, communicatum mihi esse mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & agnovi specialissimè infinitam Potentiam, & immensam Majestatem nostri magni DEI ac Domini, in sacratissima Persona Spiritus sancti, qui abripuit animam impetu suæ magnæ virtutis, ac Divinæ fortitudinis, unitamque secum possedit adeò, ut videretur profus exinanita; magna enim ea Potentia & Majestas illam transformaverat in se ipsam, possidendo ipsam, sicut si vehementes & impetuosus fluctus maris comprehenderent aliquam rem imbecillè ac debilem, quæ quia non possit illis resistere, videretur esse perdita ac submersa, & quasi oppressa in illis tam terribilibus, ac potentibus aquis. Et sic mea anima conquerebatur, non absque solatio; eò quòd obtineret ingentia bona à suo DEO, in medio illius sui magni certaminis & angustia, dicebatque: *Dimitte me, Domine mi; & DEUS mi; dimitte me, quia non possem amplius.* Ecce ego sum debilis, & potentia tua est infinita, atque ita succumbet debilitas, vincet fortitudo. Taliter mea anima diu certabat cum suo DEO, suscipiebaturque ab ipso illa grandia bona, donec magnus DEUS ac Dominus, qui operabatur ea miracula, quasi compatiens debilitati meæ animæ, & exoratus à meis sanctis Angelis, illam sensim ac suaviter reliquit paulatim in unione magis ordinaria. Quando autem redij ex hoc raptu, reperi me plenam solatio, etsi miserabile corpus sentiret dolores, essetque quasi fatigatum & contractum. Benedictus sit

M m 2

DE

DEUS, propter omnia sua opera & misericordias! Amen.

§. II.

HIs ipsis diebus, quodam tempore matutino, post sacram Communionē, cum rogarem DEUM specialibus affectibus, ut me doceret, adjuvaret, ac illuminaret, quō in omnibus & per omnia me conformarem ipsius sanctissimæ voluntati, orarēque etiam pro alijs particularibus rebus, dixi illi cum iisdem affectibus: Dilecte animæ meæ, & Domine mi, verè es infinitè bonus & misericors, ideòq; tu me desideras, ut habeas, cui aliquid largiaris, & ego, tanquam pauper & indigens, desidero te, ut habeam, qui se mihi beneficium exhibeat, quia es summè dives. Dum hac ratione anima mea ista repeteret, dixit illi ipsius DEUS: Verum omnino est, Anima, quod dicis; sed quia à me petis gratias, da mihi tu etiam aliquid: tamen enim non possim esse ditior, cum sim infinitè dives, volo nihilominus tuum teruntolum. Turbata fuit mea anima, audiens sic suum DEUM loquentem, & dixit: Hoc non, Domine, sum enim pauperrima, nec habeo, quod tibi dem, tota sum miserabilis, & plena peccatis. Cum denuò iterarem, me non habere, quod dem Divinæ ejus Majestati, reposuit Dominus: Impone manum ad tuum sinum, & offer mihi, quod ibi reperies. Cumque posuissem manum ad sinum, extraxi inde crucem ex auro purissimo, perelegantem & pretiosam, in cujus medio erat affixum & acclavatum quoddam pulcherrimum & splendidissimum cor, coloris ruberrimi, ut appareret simile lucidissimo rubino. Aspektu illud semel iterumque cum magno affectu & stupore, ac adverti in ea cruce mystica & corde quandam immensitatem majestatis, in qua videbat anima, & cognoscebat ipsummet DEUM, atque Divinū & infinitum ejus Esse, simulque mysteriū illud crucis & cordis, crucifixa per arctam cum suo DEO unionem, ut videretur illi esse acclavata per vehementem affectum amoris, esseque transformata in suum,

DEUM, & ipsius DEUS in illam, modo quodam inusitato, & altissimā unionē, atque conjunctione DEI cum anima, & animæ cum DEO. Dum ita esset absorpta in visione hujus mysterij, dixit illi Dominus: Eja, Anima, offer mihi modò, quod invenisti intrā te. Constituta sic mea anima, non poterat respondere suo DEO, neq; sciebat, vel intelligebat, quid sibi esset agendum. Dominus autem iteratò dixit: Eja tandem, Anima, offer mihi thesaurum, quem habes in tuis manibus, age, quod agendum est. Mea anima non respondit suo Domino: quia nesciebat nec poterat respondere. Quare Sanctus meus Angelus Custos flexis humi genibus coram Domino, & junctis suis manibus, petivit à Divina Majestate facultatem, offerendi ipsi loco mei istud mysterium, dicendo ad Dominum: Hæc Anima est turbata ac absorpta, ac proinde non potest, nec videtur esse capax, propter suā ecstasim, ut intelligat tuam Divinam Majestatem. Non, Angele mi, dixit Dominus, non ita oportet fieri, ipsa mihi illud debet offerre, atque ego scio quomodo, & quando. Non diu mea anima sic mansit abrepta, ac deinde ducta est ex Divina dispositione quā admirabilissimè & suavissimè sensim sine sensu, absque ulla commotione, sicut dum suffitus ascendit in altum, atque ita pervenit ad suum DEUM, ac intravit, seq; intimè intromisit in illum ipsum, & in ejus Divinum Esse, ibique est submersa & perdita, ut tamen se lucraretur, neq; fuit sui compos, donec aliquantò post redirem ad meum Dilectum, admirans profectò talia DEI opera, & bonitatem ejus infinitam, defatigatā miserabili naturā, quam confortavit Angelus Domini, eò quòd vehementer langueret, esseque debilis.

§. III.

Ulterius progressus est immensa Charitas DEI erga suam famulam; quia illam non solum duxit ad suam celestem Aulam, sed etiam voluit esse quasi à suo Regio cubiculo, conferendo ipsi, per claves mysticæ potestatis ingrediendi in abdita DEI, ac Divini

vini cordis, penetralia ad cognoscenda arca-
na Divinorum Iudiciorum. Quodam die,
inquit, post sacram Communionem, vidi
Majestatem DEI Trini in Personis, & u-
nius in Essentia, qui mihi subito dixit: A-
nima, visne venire mecum? ego tacui, &
Dominus accessit, cumque se Persona Pa-
tris collocavisset à dextris, Persona vero Fi-
lij à sinistris, elevaverunt me: sed quasi id
illis accideret difficile, reposuerunt me in
meo loco. Hoc Dominus fecit tertio, &
ultimò me secum duxit ad cœlestem Jero-
solymam in specie parvulæ puellæ, quasi
totam igneam, tradiditque me multis An-
gelis, ut me recrearent, circumducendo
per illam cœlestem Civitatem. Illi id fe-
cerunt, collaudantes musicâ & cantibus
suum DEUM, tantopere amantem suas
creaturas, & redierunt sistentes in loco, in
quo ipsis fuerat tradita. Ibi constituta,
nescio quomodo, demisit oculos, & vidit
inferius quoddam munitum castellum,
quod inhabitabat Dominus, & sub sede A-
gni erat fluvius pulcherrimus, ac mirè pel-
lucidus, qui videbatur circumdare illam
civitatem, & alicubi effundebatur usq; ad
terram. Videns mea anima illud mysti-
cum flumen, & cognoscens ipsius virtutē,
proripuit se celerrimè, evadendo ex mani-
bus illorum Sanctorum Angelorum, quâ-
vis ipsi eam non dimiserint, sed comitati
fuerint. Procubuit in illud prona, bibe-
batque pro suo libitu, & immergebat se ac
perfundebat semel atque iterum illis preti-
osis ac Divinis aquis, significantibus preti-
osum sanguinem Agni, fufum pro nostra
salute & remedio, nec non virtutem ipsius
meritorum. Vix poterat mea anima ces-
sare, ut inde abiret, ubi consequebatur tan-
ta bona. Verùm tandem illi Domini An-
geli ipsam abstraxerunt, duxeruntque ad
conspicuum DEI, ubi illam suscepit Do-
minus peramanter ac benevolè, reclina-
vitque in suo pectore & corde, conferendo
ipsi magnum lumen, & cognitionem infi-

nitæ suæ Divinæ Essentiæ. Mansit ibi, ne-
scio quàm diu. Postea me tradidit San-
ctis illis suis Angelis, ut me reducerent
ad locum, unde veneram, quod ipsi fece-
runt. Sed postquam perveni ad portas il-
lius Civitatis, venit quidam Angelus ad
me, & dans mihi quandam claviculam,
quæ, ut puto, erat argentea, & pendens
ex quodam cingulo, dixit: Accipe, Ani-
ma, hanc pretiosam clavim, quam tibi mit-
tit Dominus, quia non vult Divina Maje-
stas te abire ex sua Civitate vacuam, sed
quàm repletissimam suis gratijs. Suscepi
clavim ex manu Angeli, cum magna reve-
rentia, & verecundia, agendo magnas gra-
tias Domino DEO, pro illo tanto favore.
Et postquam illam suscepissem, vidi con-
versam in aurum. Servavi ipsam intra
me cum magno solatio, atque tum illi san-
cti Angeli me duxerunt, constitueruntque
in meo loco. Postquam redij ad me ex
hoc raptu, considerabam, qualisnam cla-
vis mystica esset illa, quæ mihi fuerat data
in cœlo, & quale esset illud mysterium,
quod me DEUS elevaverit tribus vicibus,
iterumque reposuerit, quasi ipsi aliquid
posset accidere difficile. Nam mysterium
fluvij mystici ibi intellexi, quando conti-
git, ut dictum est. Dum id cogitarem,
dixit mihi Dominus: Adverte, Anima,
mysterium: quod te videris elevatam to-
ties, significat, me præstare gratias & bona
meis Creaturis; sed velle etiam, esseque
necessarium, ut illæ unâ velint cooperari
suo libero arbitrio. Hac enim ratione di-
sposui, & decrevi salutem animarum. Cla-
vis, quæ tibi fuit data, est figura specialis
gratiæ, quam tibi confero, ut quando vo-
lueris (conformando te in hoc meæ vo-
luntati) scire aliquod secretum, quod mi-
hi soli est reservatum, possis illud intelli-
gere, accedendo ad me, sicut qui aperiret cla-
vi datâ sibi à Rege, ipsius thesaurum. *Mo-
dus utendi istâ clavi, exponitur in sequenti
capite.*



CAPVT VI.

De arcanis DEI Perfectionibus, deque ipsius Divinis attributis, & occultis judicijs.



Equunt satis comprehendi arcana Perfectiones Divinae Essentia, ipsiusque Attributorum, & occultorum judiciorum, quae ex ijs procedunt. De singulis nonnullas referemus admirabiles visiones.

§. I.

DUm aliquando manè agerem cum DEO (in Martio anni 1621.) dignatus est me deducere ad Cœlestem Jerosolymam per sanctos Angelos, qui me constituerunt coram throno Beatissimæ Trinitatis, dicendo: Vides hîc, Domine DEUS Majestatis, istam animam, quam nos jussisti ad te adducere. Aspexit me Dominus benignè ac amanter, dixitque mihi: Nunquid non meministi, te habere auream clavim, ut ingrediaris in meum Divinum penetrale, quotiescunque tibi placuerit, & ego voluero, ubi te prius ad id disposuero. (*quo ipsi quodammodo declavit, quâ ratione sit intelligendus usus aureæ clavis; si nimirum Divina Majestas prius inspiraret voluntatem ingrediendi, quemadmodum statim addidit:*) Intra, licet, in meum Divinum conclave, & videbis res admirandas. Intravi celeriter in meum DEUM, & quasi festinanter transeundo per illud summum Bonum, vidi quoddam sacrarium instar pulcherrimi, elegantis, & pretiosi palatij, quamvis non esset valde amplum. Aspexi quaquaversum, cognovique ibi maxima arcana, Magnitudinis, Bonitatis, ac Sapientiæ Divinæ, & alia admiranda mysteria, nec non eventus rerum futurarum, & res tam sublimes, ut excederent meam exilem capacitatem. Fuerunt autem mihi taliter manifestata hæc mysteria, ut, tametsi illa distinctè & clarè viderem & cognoscerem, non possem tamen ea comprehendere: sed animadver-

tebam quandam claritatem & caliginem, Divinam, ut nullo modo potuerim explicare, vel dicere, quid ibi viderim & intellexerim. Transivi hac ratione per istud Sacrarium, ac deinde me reperi cum multis sanctis Angelis, & meo Custode, juxta quâdam infinitatem graduû summæ altitudinis, & pulchritudinis. Vehementer obstupui, dum viderem illâ magnificentiam, quia mihi in illis fuit repræsentata Immensitas DEI, & ipsius Divinæ Naturæ. Dixerunt vero mihi Angeli: Conscende, Anima, hos gradus, & intra in cognitionem tui DEI, Divinarumque ejus Perfectionum, & Attributorum infinitæ ejus Essentiæ. Incepi alacriter & animosè, movente me ad id ipso DEO, conscendere velociter, gradatim, & semper cum aviditate ascendendi ulterius ac ulterius, quia meus DEUS me sui cognitione impellebat, ac ostendebat mihi tuo lumine quiddam amplius quam hoc; quantoque magis ascendebam, tanto magis advertebam multo amplius esse ascendendum, longèque mihi major evadebat graduum altitudo, & immensitas. Perveni usque ad quandam summam altitudinem, semper tamen supererat amplius & amplius. Dum eo pertingerem, occurrerunt mihi duo gravissimi Angeli, & cum autoritate, ac si me vellent terrefacere, mihi dixerunt: Quò vadis? quò vadis, tam velociter & festinanter? Siste, & nè hinc ultra progrediaris, quia rues præceps, ascendendo ad tantam altitudinem. Visis his Angelis, vehementer sum mirata, & fui rapta in ecstasim, atque reveria modicum ad me, dixi illis: Quid dicunt Domini? permittant me ascendere, non ruam enim, siquidem DEUS, in quo vivo, me tenebit. Præcipitaberis omnino, Anima, reposerunt illi, si vis comprehendere, quod tuum excedit captum. Hactenus te duxit DEUS, quod satis ostendis; Verum nunc revertere, ut descendas, non tamen.

men eadem viâ , quâ ascendisti , sed istâ. Monstrabant verò mihi quandam scalam , in qua me Domini mei Angeli constituerunt , ac deduxerunt paulatim , & suaviter : atque inferius apud postremum hujus scalæ gradum mihi dixerunt , & significaverunt , quòd , ut anima ascendat ad supremam sui DEI cognitionem , pro suo captu , sit necessarius hic descensus , neq; expediat id velle aliter facere , sed quòd ipse DEUS debeat esse author , ac effector hujus operis , quòdque animæ , postquam illi DEUS præstitit istam gratiam , & ipsa id potest facere , sit descendendum in suum nihilum , & cognitionem suæ miseræ ac vilitatis.

§. II.

Alio die (in Majo anni 1617.) inquit , fui deducta per meos sanctos Angelos ad Aulam cœlestem , quæ erat immense magnitudinis , & in ejus medio erat maximum quoddam castellû , in cujus summitate lucebat Sol speciosissimus , qui suis radijs illuminabat omnes Beatos , illòsque beatificabat. In circuitu hujus magni Castellæ erant alia illi adhærentia , in quorum uno , quod apparebat valde præclarum , fuit patefacta porta , per quam introspicens , vidi in abstrusissimo & remotissimo loco sanctissimam Trinitatem , quasi in secretissimis penetralibus suæ Divinæ Naturæ. Postquam hoc spectaculo aliquamdiu me oblectavisset , duxerunt me Angeli ad aliud castellum huic vicinum , ubi mihi videbatur videre Divinitatē DEI , & hunc in modum me circumduxerunt per omnia alia. Interrogantibus me Angelis , an scirem quidnam id esset , dixi , quòd in singulis eorum castellorum viderim DEUM. Illi autem mihi hoc magis explicuerunt , dicentes , per illa castella representari Divina attributa , quæ sunt ipsemet DEUS : vicinissimum illi excellentiori erat Divina Bonitas ; alterum , in altera parte , Divina Misericordia ; postea sequebantur alia , Divinæ Fortitudinis , Justitiæ , & reliqua , videorque mihi vidisse , quomodo DEUS in singulis his castellis operetur aliquid in suis creaturis , juxta illud attribu-

tum Divinum , quod ibi mihi representabatur. Deinde vidi , quòd Persona Patris æterni , in specie humana , etsi valde diversa ab illa , quam habet Filius , quem video esse verum hominem , ascenderit ex eo minore Castello intus ad aliud maximum usque ad summitatem , conjunxeritque caput cum illo Sole , qui erat Divinum Verbum Incarnatum ; indicando mihi , se propter merita hujus Domini benefacere omnibus Beatis , ac reliquis hominibus. Et cum eadem viâ descenderet , quâ ascenderat , vidi eundem magnum DEUM , descendentem usque ad infernum damnatorum , & ibi per attributum suæ Divinæ Justitiæ illos punientem , licet quodammodo illibenter , & quasi coactè , quod id nollet facere , nisi exigeret ipsius Justitiæ , ac proinde adverti etiam ibi aliquid operari ejus Misericordiam , & abstrahebam me ab hoc videndo : quia non intelligebam , quomodo id fieret. *Ego illi id dixi : esse , quod docent Theologi , nimirum , DEUM punire citra condignum , minus quàm illos posset punire , & in eo reperiri aliquid Misericordiæ. statimque intellexit hoc ipsum esse , quod vident , neque sciebat exponere.* Vidi præterea ibidem infinitatem istius punitionis , in æternitate pœnarum , quod me reddidit attonitam , & adverti , quàm infinita esset culpa , eò quòd adverteretur DEO infinito , qui tali pœnâ & modo illam punit per suam Justitiam. Postea vidi eundem DEUM Patrem transeuntem ad Purgatorium , & per suam Justitiam ibi infligentem animabus illam pœnam ; sed suaviori modo , & quasi illarum vicem doleret. Deinde ascendit ad locum , in quo prius fuerat , cumque me abripuisset in ecstasim , inveni me in meo lecto , sicut soleo.

Aliâ vice (in Septembri anni 1602.) postquam me DEUS duxisset in spiritu ad cœlum , contulit mihi ingens lumen , ut cognoscerem immortalitatem animæ , & æternitatem ipsiusmet DEI , atque licet multum fuerit , quod intellexi de hac immensa æternitate , dictum mihi est : Adhuc tamen longè abes ab illa percipiendâ.

§. III.

§. III.

Aliàs (in Julio anni 1619) mihi afflictae dixit Dominus: Anima affligeris, veni mecum, & ducā te ad cellarium meorum celestium vinorum, ubi recreaberis. Statimq; per quandā unionem abripuit meā animā, & collocavit in recondito penetrali sui Divini cordis, ubi ipsi exhibuit, quasi in diversis, & reconditissimis partibus, sua Divina attributa. Pervenit ad magnitudinem Divinæ Bonitatis, nec non Misericordiæ, Justitiæ, ac Sapientiæ, in quibus attributis contemplabatur & cognoscebat Divinum Esse. Visā autem ejus Justitiā fuit consternata, atq; exterrita. Delibabat aliquamdiu mea anima hæc bona sui DEI, ac Domini, immerfa & perdita in eo immenso mari, ac Divina caligine, sibi erepta, nec poterat intelligere, aut assequi immensas perfectiones illius DEI non cogniti, eratque quasi absorpta & ebria illā luce, cognitione & suavitatibus quodammodo diversis, unius ejusdemque rei, sicut si unicus cibus posset diversimodè sapere. Istā ecstasi, & modo quodam ebrietatis fuit mea anima quasi sopita in suo DEO, somno mystico & admirabili, quo durante illi dixit Christus Dominus: Accede ad me Anima. Accessit Anima ad Dominum, mansitque apud ipsum, sicut jussā fuerat, ubi vidit res tam admirandas, ut illas nesciat eloqui, neque intelligere. Aliquantò post evigilavit, auditā voce sui Angeli, ex somno, dicentis ipsi: Expergiscere, Anima, in nomine Domini, quia jam est tempus; & reducam te ad tuum locum. Itā sum ad me reversa, invenique me in meo loco.

§. IV.

Aliàs (in Augusto, anno 1615.) vidi Christum Dominum confidentem in quodam throno, circumdatum ab Angelis, etiāque à meis, qui ipso innuente, me in momento prostraverunt coram Divina ejusdem Majestate, quæ extendit manum, & apprehensum meū caput sibi applicuit.

Ibi correpta fui tam spiritali & Divino somno, ut nunquam ex illo voluissem expergeri; ibi cognovi, specialiter à DEO illuminata, res maximas de sublimitate, Divinorum Judiciorum, ac variorum, arcanorum Divinæ Providentiæ. Etsi non scirem, neque possem id exponere, sicut vidi ac intellexi. Tantū stupebam & eram attonita, atque etiam timebam, videns, quomodo prolapsa, nec non occulta DEI arcana, quoad varias vias, per quas ambulant homines. Occurrit parti superiori meæ animæ exemplum, quo id possem explicare, & est considerare altissimum montem, in quo est reperire varias semitas ac vias inter ingentia præcipitia, & imaginabar mihi multos illum perambulantes; bonos quidem insistentes semitis tam angustis ac arduis, ut viderentur præcipites ruituri, qui tamen superatā hac difficultate & molestiā devenirent ad viam planam & amœnam, magisque securam: alij verò incederent viā, in speciem planā, & amœnā, cum magna prosperitate, in cuius termino prolaberentur in præcipitium, ac perirent. Hoc exemplum mihi incidit, sed non explicat adhuc bene id, quod vidi. Cognovi etiam, & experta sum, quomodo DEUS adit tribulatis ac afflictis, videorque mihi hoc vidisse. Denuo Divina Majestas me tetigit suā sanctissimā manu, & dixit: Anima, expergiscere ex somno (itā redij ad me) aspice Cælum. Elevavi oculos ad cælum, quod conspexi apertum, unāque viam ad illud à meo cubiculo tendentem, plenam Angelis, ubi vidi lucem quandam inaccessibilem, quæ neque erat solaris, neque similis ulli lucinostrati. Correpta fui magno desiderio illuc eundi, dixique meo Domino: Eamus Domine, eamus. Dominus autem mihi dixit: Brevifiet. Et ego respondi: Domine, ne id fiat brevi, sicut tu intelligis, sed sicut ego opto. Tunc me rapuit in ecstasim, & quando mihi sum reddita, inveni me decumbentem in meo lecto, & meis gravatam doloribus, atque cruciatibus.

CAPUT VII.

Quomodo sibi ipsi sufficiat DEUS, à quo omnes accipiunt, quidquid habent boni; & de tribus mysticis Aulis, in quibus illi id fuit magis declaratum.

§. I.

DUm ageré cum meo Domino more solito (in Augusto anni 1622.) vehementer afflicta continuis meis doloribus, vellétque mihi DEUS gratificari, & me aliquantum recreare, vidi Cælum aperiri & conjungi cum terra, ut videretur ex Cælo & terra unum quid fieri, & omnia replebantur gloriâ DEI. Totum spatium intermedium replebatur Angelis, dulcissimè concinentibus laudes sui DEI ac Domini. Erat in isto spatio ingens scala, habens per intervalla, ad capiendam quieté, quædam subsellia. Per hanc vidi descendentem Christum Dominum, cum comitatu Beatorum Spirituum. Ferebat Divina ipsius Majestas in manu, ut apparebat, sacrum Ciborium, seu calicem coopertû, & in illo Hostiam. Postquam pervenit ad quoddam subsellium vicinius terræ, ibi substitit, ac tum subito accesserunt aliqui sancti Angeli, & collocaverunt ante Dominum elegans altare, aliquantum angustû, totum repletum & exornatum gemmis inæstimabilis valoris; atque ex lateribus Altaris, pendebant elegantes zonæ cum suis lemniscis, quos sustinebant suis manibus duo gravissimi Angeli. Divina Majestas posuit Calicem supra altare, discooperuit illum, & aspexit Hostiam, quam intus habebat, acceptamque manu absumpsit. Adstabant omnes Angeli, tam qui illic fuerant, quam qui venerant cum Divina Majestate, cum albis cereis accensis reverentissimè, & postquam Dominus sumpsisset Hostiam, accesserunt Angeli, ac abstulerunt ex altari calicem. Vehementer stupēbam hoc mysterium, & optābam scire, quid significaret. Dixitque mihi Dominus: sumptam fuisse à se DEO & Homine

verò eam Hostiam, ut significaret, DEUM non aliunde dependere, quàm à se ipso, & omne suum bonum, felicitatem, amplitudinem, ac esse Divinum habere in se, & à se, absque ulla dependentia à Creaturis. Post hoc omnes Sancti Angeli præsentés accesserunt singillatim ad Altare, inclinantes se profundè coram Domino, statimque se iterum erigentes; Dominus autem imponebat cuilibet Angelo ad labia gemmâ pretiosissimam diversorum colorum, quâ Angelus suscipiebat, & evadebat pulchrior ac iplendidior, quàm antè, atque ardentior ipsius amore. Ultimò advenerunt mei Domini Angeli, qui mecum ordinariè manent, & duxerunt me ad Altare, prostraveruntque coram Domino, qui etiam mihi dedit pretiosissimum lapidem, quamvis valde differentem ab ijs, quos dederat Angelis, quo accepto, repositoque intrâ me ipsam, fui vehementer ditata, & illuminata, ac repleta mille bonis. Indidit mihi Dominus desiderium sciendi, quid significaret id, quod videram, & Dominus mihi dixit: Ideò fuisse datum à Divina ipsius Majestate illam gemmâ cuilibet Angelo, quo suscepto tantopere ditabatur, & replebatur gloriâ, ut significaret, omnes creaturas accipere ab illo suum esse, & beatitudinem, cum ex se nihil habeant. Summopere obstupui, videns tam Divina mysteria, & Dominus me in momento se eum arctè univit, unâque ego me univi cum Divina ejusdem Majestate, & procedentes ab eodem Domino Divini quidam funiculi adhæserunt meæ animæ, attuleruntque mihi maxima bona. Hoc modo diu fui constituta, donec paulatim dimitterer ab ista magna unione, sed ita, ut remanerem intrâ meum Dominum, novis luminibus, & splendoribus collustrata.

Nn

§. I.

§. II.

Fusus illi manifestavit Dominus DEUS
verum omnium dependentiam à Sua
Majestate, quæ universis dominatur.

Cùm, inquit, quodam tempore matu-
tino (in Augusto anni 1621.) essem vehe-
menter afflicta à doloribus, dixit mihi Do-
minus: Angeris & affligeris, creatura mea,
veni jam mecum, & quiesces, ostendamq;
tibi mirabilia. Subito me reperi totam à
DEO circumdatam, & collocatam in pe-
netrali Divinæ Essentiæ. Atque tum me
duxit Dominus, & constituit in quadam
amplissima aula, ornata, ac pretiosa, quæ
videbatur esse ingens palatium. Aspiciens
autem quaquaversum, vidi quàm ordina-
tissimè in illius circuitu collocatos thesau-
ros maximi pretij & valoris: quia licet ef-
fent admirabiliter & magnificè cooperti,
ego illos videbam, & cognoscebam eorun-
dem valorem per lumen, quod mihi DE-
US communicavit. In medio horum
tam mirabilium thesaurorum, & in loco
præstantiore, erat quidam longè pretio-
sior, magis celestis ac Divinus, quàm om-
nes reliqui. Ex hoc thesauro tam præcla-
ro, & tam pretioso, prodibat tanta virtutis
ac valoris excellentia, atque ita superabat
cæteros, ut ab illo reciperent suam virtu-
tem ac valorem, atque ab eodem, illis to-
tum ipsorum esse communicaretur.

Hæc visio & raptus duravit aliquamdiu,
& postea fui ducta à Domino ad aliam au-
lam, similiter valde opulentam & pretio-
sam, ac pulcherrimè adornatam, in qua
erat optimè coordinata quædam cœlestis
apotheca, medicinarum tam pretiosarum,
ac proficiarum, ad curandas & sanandas
omnes infirmitates, ut nulla creatura, vol-
lens illis bene uti, reperiretur, quæ non sa-
naretur à qualicunque infirmitate, ex qua
laboraret, utcunque esset lethalis. Tan-
ta erat virtus, & efficacia ac valor harum
cœlestium medicinarum. In medio illa-
rum, & in eminentiore loco erat una præ-
tj & virtutis ac valoris infiniti, pro sanan-
dis & curandis omnibus vulneribus putri-
dis, & morbis lethalibus, atque ab hac re-

cipiebant sibi communicatam omnes re-
liquæ medicinæ suam virtutem.


Postquam diu fuisset admirata hæc
mysteria, deducta sum à Domino ad aliam
similem aulam elegantissimam & ornatif-
simam, in qua erant quidam medici, ma-
gnâ suæ artis scientiâ præditi, personæ ad-
modum graves, atque, ut apparebat, val-
de egregij, & hi non erant multi, quamvis
valde docti & periti. In medio horum tam
sapientium medicorum, & in supremo lo-
co, sedebat quidam in throno, cujus scien-
tia erat infinita, & Sapientia immensa, quæ
omnes excellebat. Ab hoc magno Magi-
stro & Archiatro cœlesti accipiebant om-
nes reliqui Virtutem, Scientiam, & Sapi-
entiam, quam habebant, & quæ ab illo
ipsis fuerat communicata. In hac visione
iterum aliquamdiu mansi, cum magna
admiratione.

§. III.

INde me Dominus eduxit, denuo-
que constituit arcano quodam modo, in
prima aula, & gazophylacio, contulitque
mihi magnum lumen, atque cognitionem
illius summi mysterij, quæ ratione videli-
cet ab illo Divino thesauro, qui repræsen-
tabat & significabat ipsum DEUM, ejus-
demque infinitam magnitudinem, & im-
mensitatem, summam potentiam, ineffa-
bilèque gloriam Divinæ ejus Essentiæ,
accipiant valorem, lucem, gloriam, & be-
atitudinem omnes cæteri thesauri, collo-
cati ante illud summum Bonum, qui re-
præsentabant & significabāt omnes beatos
Spiritus, accipientes à summo Bono suam
gloriam. Dum mea anima videret & cog-
nosceret illum summam Magnificentiam,
& Divinum Esse mei DEI, prostrata in
ipsius conspectu cum summo & intimo af-
fectu, & eo lumine, quod mihi erat denuo
communicatum, incepi ex animo & ar-
denter dicere: O magne & infinite thesau-
re mei DEI ac Domini, maximi, optimi,
pulcherrimi, potentissimi, infiniti, & ple-
ni summâ Sapientiâ, atque Gloriâ, quæ il-
lustras, ditas, & beatas reddis omnes ani-
mas

mas ac spiritus, qui in tuo Divino versantur conspectu! O Sol Divine, splendidior omnibus splendoribus, pulchrior omnibus pulchritudinibus, fortior & potentior omnibus fortitudinibus! Tu es, DEUS mi, & Domine mi, qui tuis radijs Divinis attingis & irradias animas, easque ducis ad te, & reddis beatas. O summum Bonum adjuva me, illumina me, doce me viam tuarum veritatum, ut ita te amem, sicut me amavisti, maneamque in te, ac perseverem in perpetuum. Repetendo ista cum magno affectu, mansi ibi diu. Et inde fui ducta à Domino ad secundam Aulam, ac Apothecam caelestem, ubi nova me cepit admiratio, novamque habui illustrationem, lucem, & cognitionem illius supereminens mysterij, coniectis oculis in illud pretiosum vas, & Divinam Medicinam, ceteris omnibus superiorem, quæ erat Symbolum & repræsentatio infiniti valoris ac pretij, sanguinis JESU Christi Domini nostri, effusi pro nostra salute ac remedio. Coram hoc tanto mysterio mea anima prostrata, cum lumine, quod mihi DEUS communicabat, de illo infinito valore, à quo accipiebant suam virtutem, & gratiam omnes reliquæ medicinæ, significantes sancta Sacramenta nostræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, & remedia, quæ per illa applicantur nostris animabus, in virtute illius sanguinis; cum hoc novo lumine, inquam, incepit dicere: O Sanguis pretiose mei Redemptoris, & Salvatoris JESU Christi, effuse pro nostra salute! o valor infinite & immense! O medicina Divina & caelestis, quâ omnes possumus salvari & sanari ab universis nostris infirmitatibus, quantumvis sint malignæ & contagiosæ! Tu contulisti, & confers valorem cæteris medicinis, quibus curamus & sanamus nostras animas, quæ sunt sancta Sacramenta. Pero à te suppliciter, mi DEUS, per hunc pretiosum sanguinem, & per tuam infinitam bonitatem, ut me cures, sanes ac purifices. Hæc & alia dicebat mea anima, cum maximo affectu ad illam caelestem ac Divinam Medicinam, & pretiosissimum

Sanguinem mei Redemptoris, atque in hoc me aliquamdiu detinui. Hinc me Dominus duxit ad tertiam Aulam, ubi erant illi sapientes & graves Medici, unaque ille magnus Magister omnium ac Archiater, & cognito, per magnum & clarum DEI lumen, illo sublimi mysterio, prostravi me, cum magno interno, submissimoque affectu, coram Majestate illius magni Domini, dixique ei cum exuperante, ingenti, & humili fervore: O Magister Divine, o Fons Sapientiæ æternæ, o Medice sapientissime & potentissime ad curandas & sanandas omnes infirmitates, quantumlibet graves! O Protomedice Divine, qui non solum potes conferre hanc sanitatem & salutem, sed per tuam infinitam potentiam etiam dare vitam, & resuscitare mortuos, licet sint instar Lazari quatuoriduanii defuncti! suppliciter te obsecro Domine, per tuam infinitam bonitatem & misericordiam, ut cures ac sanes meam animam ab omnibus infirmitatibus, mundesque ipsam ab omni lepra peccatorum suorum ac defectu, ut ita te pure amem, tibi que serviam ex toto meo corde, & pro viribus meis. Intellexi, illos sapientes Medicos fuisse figuram Ministrorum Evangelij, qui suam accipiunt virtutem, valorem & sapientiam, ab illo magno Domino & Magistro Divino ac caelesti, repræsentante ipsum DEUM ac Dominum, cujus gratiam & virtutem Divinam, ac merita JESU Christi Domini nostri, communicabat suis Ministris Evangelicis. Mansi aliquanto tempore in hac illustratione ac visione mystica, & inde me abripuit Dominus intra se ipsum, posuitque in mystico penetranti suæ Divinæ Essentiæ, & hoc modo me paulatim ac suaviter dimittebat, donec me reponeret in meo locello, ubi me inveni plenam admiratione, ob visionem tanti mysterij.



CAPVT VIII.

Quomodo viderit tres Angelos, miro prorsus modo repræsentantes Mysterium Sanctissimæ TRINITATIS, & Christus Dominus ter descenderit, ad infundendas ipsi tres virtutes, utens verbis admirandis.

S Equens visio est prodigium infinite Sapientia & Bonitatis DEI, communicantis se suis Creaturis, cuius principium est simile illi, quam habuit Abraham de mysterio Sanctissimæ Trinitatis in specie trium Angelorum, quos alloquebatur modo ut unum, modo ut multos: quia ipsi apparebant, jam ut unus, jam ut tres.

§. I.

A Gens cum DEO horâ secundâ noctis (anno 1611.) vidi tres beatos Spiritus, qui, ut mihi videbatur, erant Angeli DEI, & stantes coram me aliquantum ex parte, dixerunt mihi modo admirabili & valde gravi: Soror, venimus, ut tibi annuntiemus nova, nomine DEI. Neque mihi tunc plus sunt loquuti: quia attendebant ad effectum, quem illud verbum seu nuncium operaturum esset in mea anima, qui erat quædam turbatio, tum quod nescirem, qualia nova essent illa, tum quia admirabar admirabilem modum loquendi, quo utebantur: nam loquentibus tribus, loquebatur tantum unus, & loquente tantum uno, loquebantur omnes tres; per quod DEUS vehementer illuminavit meam animam, ut cognoscerem altissimū mysterium trium Divinarum Personarū, & unius solius veri DEI, adeo ut habito hoc lumine potuerim dicere, verum esse, quod confitemur de hoc mysterio: quia ego vidi aliquid, & habeo aliquam illius cognitionem. Dum ij cælestes Spiritus me viderent ita turbatam, ac admirandam, alloquentes me denuo cum magna suavitate & benignitate, eodem arcano modo, de quo dixi, & novo lumine collu-

strantes meam animam, ad percipiendum mysterium, dixerunt mihi: Soror nostra, ne turberis, neque affligaris, nova enim, quæ tibi annuntiamus, sunt optima. Tamen, quia ordinariè magis reddor sollicita & attenta, quando me DEUS visitat, mihi que exhibet suas solitas misericordias, quam quando mihi offert aliquam crucem, amore sui tolerandam, quam suscipio sine tergiversatione, aut timore; licet mihi dixerint esse bona nova, non omnino deponi meam perturbationem, & dixi illis consentaneè mystico modo, quo mihi fuerant locuti, & lumini, quod mea anima acceperat de mysterio altissimo Sanctissimæ Trinitatis: Domini, Dominus potest facere quidquid vult, ac sicut vult, potest visitare animam, & conferre illi gratias, quando & quomodo, & eâ ratione, quæ vult, pro sua sanctissima voluntate, & ego quid habeo hac in re expendendum? quid vobis opus est me commonescieri? Responderunt mihi illo dicto modo arcano, & novum communicando lumen meæ animæ: Ita, verum est, quod dicis, requirit tamen DEUS tuam dispositionem. Tum ego respondi (retinendo semper lumen in mea anima, quo cognoscebam illud mysterium, & ignorando modum, quo id dicerem) Domini, si ex mea parte requiritur, aut debet esse aliqua bona dispositio ad recipiendas à DEO ipsius gratias, ea, quam ego habeo, est valde exigua, miserabilis, & imperfecta, ideoque nescio, quid facere possum, vel dicere hac de re, ignoro, quomodo me debeam disponere. Illi verò mihi dixerunt eo modo mirabili, de quo antea dixi: Nè te quidquam affligat, vel sollicitam reddat, quia dispositio, quam à te petimus, est, ut solum velis acceptare gratiam, quam tibi Dominus modo vult præstare.

Audi.

§. II.

Auditis his verbis fui liberata ab omni molestia, & solitudine, ac turbatione, quam habueram, subsecuta magna pace & quiete, ac dixi cum affectu, quem DEUS meæ animæ communicavit, resignationis, & propriæ cognitionis: Ecce tua pauper creatura, & ancilla mei Domini; fiat in me in omnibus, & per omnia sanctissima tua & amabilissima voluntas. Postquam id dixissem, unus ex illis tribus Angelis recessit aliquantum ab alijs, seque constituit quasi è regione ipsorum, & fuit res mirabilis ac plena mysterio, quam mea anima ibi vidit, atque cognovit per lumen sibi à Domino communicatum: quia dum recederet ab illis duobus, unus ille manebat cum duobus, ac duo manebant cum illo uno, & cognovi ex illuminatione Divina, quod iste recessus unius à duobus esset figura mysterij Incarnationis secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis, JESU Christi Domini nostri. Deinde elevatis animæ oculis, ex inspiratione DEI, conspexi cælos quasi patefactos, & apertos, vidique ex altissimo ac supremo eorum descendentes pulcherrimo ordine, & binos, instar supplicantium, innumerabiles Angelos, ac Spiritus Beatos, adeò ut viderentur egredi ex cœlesti Jerosolyma omnes illius Civēs & Aulici; cumque descendissent hoc ordine, donec pervenirent ad illos Sanctos Angelos, quos dixi stetit mirabiliter, duos ex una, & unum ex altera parte, fuit instituta Divina quædam supplicatio, in cuius medio à dextris procedebat Sanctissima Virgo Domina nostra, sublimior alijs sanctis Angelis, quasi confidens in quodâ throno, stipata comitatu multarum Virginum, & sanctarum subsequenitium, intercedentibus per intervalla plurimis Beatis Spiritibus. Postea vidi grande & elegans, augustum ac munitum castellum, adeoque stupendum, ut nunquam potuerim intelligere, quale fuerit: quia illius majestas ac magnitudo excedebat captum omnis creaturæ, unde ibi fui obruta, perclita & submersa in ea Divina caligine: nescio, an tunc evanuerint ex meis oculis illi tres admirabiles Angeli.

EX hoc Divino Castello, patefactâ quâdam quasi portâ, seu aperturâ, prodijt JESUS Christus Dominus noster, cum maxima Majestate ac pompa, & incipiens descendere per medium illius cœlestis processionis, pervenit usque ad sanctissimam Virginem Dominam nostram, ad quam nonnihil conversus, inclinavit suum sacratissimum caput & corpus, exhibens ipsi reverentiam, sanctissima quoque Virgo se erexit, & inclinavit coram Divina ipsius Majestate cum maxima veneratione, quod ipsum fecerunt omnes illæ Virgines & Sanctæ, ac Angeli, qui aderant. Statimque Dominus processit ulterius; descendebat verò dicto modo, donec veniret ad initium illius Processionis, ubi jam ego eram, priusquam Divina Majestas adveniret. Cum autem aspicerem Dominum venientem, vidi quod in duobus digitis suæ sacratissimæ manûs ferret quasi obvolutas quasdam gemmas pretiosissimas diversorum colorum, atque idcirco attonita, non poteram avertere oculos ab illo mysterio, & tota turbata ac abrepta, nesciens quid agerem, corruvi prona super terram, in qua jacebam humiliata, & proxima Divinis pedibus. Sed subito fui elevata, & Dominus venit ad me, unde ego non parùm fui turbata, ac obstupui: & postquam tetigisset ijs duobus digitis, in quibus ferebat illos pretiosos lapides, meum pectus, & cor, atque ibidem eos tenuisset, per spatium, quod dicitur Symbolum Apostolorum (non sciebam tunc, quid ageret Divina Majestas, quidve in me operaretur) ac deinde mihi dedisset suam sanctam benedictionem, reversus est, pertransendo illam Processionem eodem modo, quo descenderat, usque dum ascenderet ad supremum cœli locum, unde venerat. Ego cogitabam, & conferebam mecum, quale esset illud mysterium, quod Dominus suis sacratissimis digitis tetigisset meum cor: & quia senseram illum intimum contactum, dicebam: Quid est, mi DEUS, quod fecisti, & operatus es in me, tua paupere creatura: atque cum frequentissimè dicâ Domino, considerando

me tam pauperem & infelicem, ac miserabilem: *Cor novum crea in me DEUS, & spiritum novum infunde visceribus meis*; aiebam, quandoquidem tanta est mei DEI bonitas, an non mihi abstulisset meus Dominus istud cor antiquum Adami, velleque mihi dare aliud novum, conforme suo genio ac voluntati. Sed statim me corripgebam, ac dicebam: Hoc vix contigerit, quia sentio idem, ac si cor meum haberem in meo pectore. Hæc me dicente, vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri descendente secundo ex eodem loco, & eodem modo, quo prius: dum autem cum ea pompa descenderet, jamque vicinissimus esset loco, in quo ego inclinata venerabar ipsius Majestatem, extendit suam sacratissimam manum, ac admovit meis labijs, quæ signavi Cruce, efformatâ duobus digitis, indice & medio, in quibus Divina Majestas ferebat illas prædictas gemmas. Deinde paucis mihi bene precatus, rediit per medium illius cœlestis Processionis, ac ascendit usq; ad supremum Cœlum, unde advenerat, subducendo se conspectui meæ animæ, quemadmodum fecerat primâ vice. Paulò post, quasi intrâ spatium, quo persolvitur symbolum Apostolorum, iterum descendit, sicut primò & secundo, accedensq; ad me, attactâ meâ fronte, iisdem duobus digitis, in quibus gerebat eas gemmas, designavit in illa Crucé, quæ remansit profundè impressa intrâ eâ partem capitis, non sinè notabili meo dolore; ac tum mihi breviter benedixit, sicut alijs vicibus: Recedens verò aliquantulum à me, præcepit eadem Divina Majestas graviter & admirabiliter toti illi Aulæ cœlesti, ut attenderent, quid ipsis esset dictura, & expositura, de mysterijs, quæ fuerant omnibus præsentibus peracta, atque mihi specialiter dixit: Tu quoque esto attenda, & intelliges gratias tibi modò à me præstitas, quia hæcenus vidisti mysterium, & non intellexisti, quid significaret. Tunc Beati Spiritus quasi novam præse rulerunt attentionem, præsertim verò ego, eò quòd mea interesset, magis appropinquavi diligenter auscultatura, quid Dominus esset dicturus.

§. III.

INterea dixit Dominus: Noverint omnes creaturæ, constetque Cœlo ac terræ, quòd propter meam bonitatem, & quia sum is, qui sum, hunc in modum, atque ita specialiter, sicut vidistis, amem, amplectar, & honorem meos parvulos, qui nimirum verè, & ex toto suo corde ac anima me amant, mihi serviunt & obtemperant omnibus suis viribus, respondententes quàm optimè possunt meæ inspirationi, & vocationi: idcirco nunc volui taliter honorare istam creaturam, descendendo ad ipsam tribus vicibus, ex meo regio throno ad terram, & applicando illi meâ potentii manu specialem meam gratiam, ac virtutem meæ Passionis, confortando denuò ipsius cor, & conferendo ei novam gratiâ contra potentiam Sathanæ; id quod feci tangendo meâ manu intimè illius cor, sicut vidistis, & illa sensit, relicto in eo, in signum hujus novæ gratiæ, & virtutis ac fortitudinis, quam illi tum communicavi, unâ ex ijs gemmis, quas ferebam in duobus digitis meæ manûs. Secundâ vice, quando ad illam descendi, attingendo meâ manu ipsius labia, applicui illi, & communicavi denuò virtutem prudentiæ in loquendo, ut loqui possit, quin diabolus valeat impedire verba, quæ meo nomine, & ex mea voluntate illam oportuerit proferre ac dicere, qualicunque oblata occasione meæ gloriæ, & fructus animarum, relicta intrâ ipsam, quasi in signum, intuitu hujus gratiæ, aliâ gemmâ ex ijs, quas in digitis meæ manûs gerebam. Tertiâ vice, quâ ad illam descendi, tangendo, sicut vidistis, meis digitis ipsius frontem, & formando in ea signum Crucis, quòd etiam à me factum est, dum tetigi cor & labia, applicui illi & communicavi denuò virtutem bonarum cogitationum, illustrando novâ meâ luce ejus intellectum, ut bene dirigat opera ad majorem gloriam meam, relicta illi etiam, in signum istius gratiæ, tertiâ gemmâ ex ijs, quas ferebam intrâ meos digitos.

Hoc dicto, conjectis que in me suis sacratissimis oculis, alloquutus est me, dixitque

que mihi peculiariter: Hæ sunt, Marina, misericordiæ & gratiæ, quas modo tibi de novo exhibeo, & quas accepisti à me, eo modo mystico, quem vidisti, neque tamen tunc intellexisti. Deinde Dominus dedit suam benedictionem toti illi cœlesti Aulæ, & Spiritibus Beatis, ac mihi suæ miserabili creaturæ, cum maiestate ac auctoritate à me nunquam aliàs animaduersa, atq; hoc factò est reuersus, & pertransiuit illam mirabilem Processionem, sicut prioribus duabus vicibus, ingressusque est in illud suum amplum & elegans castellum, ac deinde se movit tota illa mystica Processio Beatorum Spirituum, qui ascendentes suo ordine, quo descenderant, introierunt in cœlestem Ierolimam, & cum postremò ingredientibus, qui erant eminentiores, & sublimissimi spiritus, ingressi sunt tres illi admirabiles ac beati Spiritus, quorum in principio feci mentionem: & postquam hi introiissent, clausa est illa porta, seu apertura Cœli, atque ego attonita, summè mirabar, quòd viderim tam stupenda, excedentia omnem exiguam capacitatem meæ animæ, & verecundabar, demersa in illam abyssum meæ vilitatis, & exiguitatis, ideòque existimo, me nunquam ausuram fuisse, vel attentaturam, scribere ista mysteria, præterquam ad reddendam rationem meo Confessario, & Patri spiritali.

Videor mihi quasi immutata, postquam mihi Dominus præstitit istam gratiam, habereque in intimo recessu ac fundo meæ animæ, applicatam ab illo quandam veluti seram, ac sigillum, adeò ut nihil possit pertingere & intrare in illud secretum con-

clave, quod Dominus ità clausit & obfignavit. Solus ille potest aperire & occludere istud claustrum, quod Divinæ Majestati est semper quasi apertum, potestque intrare & egredi, quando, & eo modo, quo ipsi placet. Quando verò per meam magnam fragilitatem & miseriam labor in aliquo defectus, ac imperfectiones, quia semper & in omnibus meis operibus hoc mihi de me persuadeo, videtur id mihi tunc esse & fieri procul extra portas domus & habitaculi interioris meæ animæ, ut nesciam, quomodo eveniat: solum scio, me malè & cum multis defectibus ac erroribus respondere tantis gratijs, quas à Divina Majestate accepi.

Dum pervenissem ad scribenda illa tam grandia verba, quæ Dominus dixit: *Noverrint omnes creatura, consisterque celo ac terra*, quia repræsentabatur meæ animæ, quasi tunc adesset, maxima & extraordinaria Majestas, cum qua Dominus ea protulerat, exeruit se in momento meus pudor & timor, ut fuerim mirata, nec potuerim tunc quidquam loqui. Atque Dominus, operatus est in mea anima, ex sua bonitate, & me obstupescente id, quod ego nunquam senseram, neque mihi acciderat in vita mea, quantum recorder; ipse namque Dominus propter suam misericordiã, & altissima iudicia, movit meam linguam, loquutusque est per illam prædicta verba: quòd quidem scribo cum magno dolore, quia mihi id mandat, & sic vult Dominus; nam ista melius est sentire, quam dicere, eo quòd absque magna confusione & verecundia proferri nequeant.



CAPUT IX.

Quomodo ipsi DEUS alijs stupendis modis manifestaverit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, exhibendo illi singularissimos favores.

Alijs novis modis admirabilissimis Dominus voluit distinctius manifestare Formulæ suæ Trinitatem Divinarum Personarum, in Unitate Essentiæ, jam per lumen & visionem intellectualem, sine imaginibus vel figuris, quod est perfectius; jam cum his figuris diversimode. Finis, ob quem illi manifestavit tam sublimia mysteria, intelligetur in sequenti revelatione.

§. I.

Quadam vice, inquit, vidi descendentes ex cælo innumerabiles Angelos, quibus circumdantibus meum cubiculum, comparuit mihi Majestas DEI nostri Trini in Personis, & unius in Essentia. Vidi autem ipsum, absque ulla specie corporea, & fui attonita, atque confusa. Omnes Angeli se prostraverunt coram Divina Majestate, & ego pro mea timiditate me avertēbam. Sed Dominus mihi dixit: Propter te venio. Et sicut, dum aliquis denudatur suâ veste, ita mihi videtur animam exuisse corpore, illamque fuisse complexus. Videbam illam in manibus DEI, & advertēbam corpus meum non esse mortuum. Interrogavi Dominum, quomodo id fieret; dixitq; mihi: Interroga tuum Confessarium, ipse enim tibi hoc dicet. Itâ aliquamdiu hæsi cupida intelligendi mysterij: deinde mihi dixit: Hoc, quod teneo in meis manibus, est pars superior tuæ animæ, quæ est memoria, intellectus, & voluntas; ista enim mihi adhæret: altera pars inferior, peragit suum officium in corpore. Sicut, quando quispiam Dominus capit possessionem alicujus loci, quamvis sit Dominus, relinquit tamen usum & fructum Vasallis, ut directant; itâ ego sum

Dominus tui spiritus, & nihilominus permitto tibi usum & libertatem, ut proficias ac diteris tuis meritis. Et hæc tibi ostendo, quæ es illiterata, pro solatio doctorum, qui ea resciverint, dum videbunt, id, quod illi assequuntur studio impenso lectandis libris sacris, licet ipsimet non experiantur, expressum in fæmina, quæ nihil tale poterit scire ex se ipsa.

In hujus rei confirmationem mihi aliquando DEUS ostendit istud mysterium tam clarè, ut si aliquis de eo dubitaret, videretque illud cum tali illustratione, omne ipsi dubium auferretur. Quocirca dixi ad DEUM: Domine, quare hoc fit? quasi timens nè aliquomodo errarem in fide, quoad istud mysterium, mihiq; ideo manifestaretur, ut illum errorem deponerem. Statim autem audivi responsum Domini, ac si loqueretur voce humana, certam me reddentis de mea integra Fide, dicentisque mihi: Cum me postea sis clarè visura, non est mirum, hic fieri intuitum. Quo factum est, ut fuerim tam plena DEO, ut mihi viderer magis vivere in illo, quam in me. Simul autem mihi significavit eam visionem non fuisse tam clarâ, qualis mihi tribuenda esset in Cælo.

§. II.

Aliàs dum versarer cum DEO, amando ipsum omnibus viribus meis, incepit multò magis incendere hunc amorem, & postquam me abripuisset in spiritu, reperi me in Cælo coram Divina ipsius Majestate, ubi respiravi, & quievi oblita omnium rerum creatarum. Subitò contulit meo intellectui lumen, cum quo vidi ac intellexi tres Divinas Personas distinctas, & quomodo sint Unus DEUS, ac Dominus Magnus, Potens, & Infinitus, atque u-

na Majestas, & Magnitudo, ac Omnipotentia, cui nihil est impossibile, & quæ replet & gubernat omnia; in cuius potenti manu sunt uniuersa, de quibus disponere pro libitu, etiãque illa destruere potest. Duravit hoc lumen aliquot diebus, atque interdum emittebat quosdam vapores igneos, qui me quodammodo perterrefaciebant, eò quòd tali mendicabulo, quale sum ego, DEUS revelaret tam sublimia mysteria. Et accensa ejus amore, dixi illi: Mi Domine, & Dilecte animæ meæ, ergone mecum modò sic agis, cum ego sim, quæ sum? Respondit Divina Majestas: Omnino modò tecum sic ago, volo enim amicis meis, qui mihi cupiunt placere, hic dare tantillum, quod sit quasi indicium eorum, quæ visuri, & quibus illic fruituri sunt mecum.

Alio die, cum audirem dici in templo versum: *Gloria Patri*; illuminata à DEO, vidi illius Divinas tres Personas, & intellexi Patrem non esse Filium, nec Filium esse Patrem, neque Spiritum Sanctum esse Patrem vel Filium. Contuli me adsumendum Christum Dominum, atque cum illum sumerem, dedit mihi Divina Majestas aliud singulare lumen, & cognitionem ejusdem mysterij, propter quam, unaque sacram Communionem mea anima fuit unita Domino, ut mihi viderer esse plena DEO, omniumque essem aliorum immemor, nec scirem, intelligeremve quidquã aliud, quàm hoc tantum Bonum, quo tunc repleor, cum tanta reverentia, ut quando coram illo versor, contremiscam, vellẽmque me intrã terram abdere: & nihilominus amo toto meo corde infinitam Bonitatem, ac Sapientiam tanti Domini.

§. III.

Alio die (in Januario anni 1622.) vidi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, qui mihi amanissimè dixit: Marina, audis? visne venire mecum? Fui quasi attonita, neque respondi Domino. Iteratò dixit: Visne venire mecum? Cui ego: Itã, mi Domine, sed statim conticui, & propter meam solitam verecundiam &

tergiversationem, ac timores, dissimulando non explicui meam mentem. Dominus autem substitit modicum, dixitque tertio: Marina, visne venire mecum? Tunc non potui non animadvertere, quid mihi diceret Dominus, & reposui: Itã, mi Domine, sed valdè malè valeo, non potero. Tum Dominus dixit sanctis Angelis, qui apud me erant, & multis alijs, qui adveniant: Accipite istam creaturam, & ferte illam post me, eò, quòd ego ibo, fiatque id quàm commodissimè, ne molestia afficiatur ipsius anima, ac debilis natura. Angeli me acceperunt peramanter & benignè, posueruntque me supra lectum plenum suavè olentibus floribus, & in eo me ipsimet tulerunt suis manibus post Dominum. Divina Majestas paulatim ascendebat cœlestem Jerosolymam versus, & ego ferebar aliquantum remota à Divina Majestate. Pervenit Dominus ad Cœlum, & consedit ad dextram sui æterni Patris, quòd me etiã tulerunt mei sancti Angeli, & iustulerunt ex lecto, posueruntque in pavimento illius Divini loci, ac prostraverunt coram Domino ad ejus pedes. Tum statim mihi disparuit Christus Dominus, & fui lata ab Angelis ad conspectum Domini DEI, nullã velati imagine, ubi mihi sunt ostensa magna Bonitatis ac Essentiæ Divinæ, Trinæ ac Unius. Tulerunt me deinde ad Personam Patris æterni, & posuerunt me intrã ipsius Essẽ Divinum, ubi cognovi illam Divinam Personam, ut distinctam à reliquis, & in ea Divinum illius Essẽ. Deinde sum lata ad Personam Verbi æterni, constitueruntque me intrã Divinum ejusdem Essẽ. Et postea ad Personam Spiritus Sancti, similiterque me introduxerunt intrã ipsius Essẽ Divinum, ut cognoscerem in quavis Persona Divinam Naturam, & Essẽ Divinum, quantum conceditur capacitati creaturæ, & quidem tam clarè, ut mihi viderer non habere fidem, quòd creditur hoc Divinum mysterium, tametsi illam haberem. Post hoc iterum vidi sanctissimam Humanitatem Christi Domini, qui ascendit ad quoddam Castellum ex purissimo constructum auro, resplendens, undique clausum & altum, quamvis non adeò latum,

tum, atque Angelis adiuvantibus ascendi post Dominum. Postquam pervenisset ad eminentem locum Castelli, dixit mihi ipsius Majestas: Anima, aperi oculos, & aspice. Incepi aspicerem, ac vidi immensam altitudinem; obstupui, suisque consternata, ac attonita, videndo magnalia, quæ mihi fuerunt ibi ostensa, cum singularissimo lumine, quod mihi Dominus contulit, pro cognoscenda Divinitate, Magnitudine, Potentia, Pulchritudine, & Sapientia DEI Infiti, Immensi, Omnipotentis. Multo mihi amplius hic fuit manifestatum, quàm prius. Omnia erant DEUS, & amplius DEUS, & hic fuit absorpta, ut non essem mei compos satis diu. Dominus descendit per quosdam quasi gradus ex Castello, quod jam erat apertum, & Angeli me per eosdem deduxerunt; & Dominus se contulit ad priorem locum, me verò collocaverunt ad ipsius pedes, & coram Beatissima Trinitate. Ibi mihi dixit Dominus: Jam est tempus, Anima, ut redeas ad tuum angulum; sed nolo te reverti vacuam. Pater æternus dignatus est mihi dare quoddam cimelium, imposuitque illud quasi intrâ cor meum, quod videbatur esse apertum. Fuit autem quædam potentia ad resistendum tentationibus diaboli, & ad ferendam crucem, atque afflictiones, quas mihi Dominus esset oblaturus, cum pace, gaudio, ac fructu meæ animæ. Et Verbum æternum mihi dedit etiam cimelium, quod inseruit pectori, & fuit donum sapientiæ ad eundem effectum. Spiritus verò sanctus mihi dedit donum amoris, ad accendendam magis meam animam amore DEI. Fui summo repleta solatio, plurimumque confortata ob hæc tam pretiosa cimelia. Similiter maximum erat gaudium mei sancti Angeli Custodis, & sollicitudo mea ac diligentia, quâ conabar occludere meum pectus, quod erat apertum, ut conservarem tam pretiosum thesaurum. Postquam accepissem hæc Divina dona, egi magnas DEO gratias, pro tam singularibus favoribus, mihi exhibitis, & postquam mihi bene precata fuisset Divina Majestas, tulerunt me sancti Angeli ad meum angulum.

§. IV.

Dum alio die (in Mayo anni 1620) audirem Missam, quæ dicebatur in Oratorio, ut communicarem, vidi meos Dominos quinque Angelos, cum sancta quadam lætitia & diligentia insternentes totum pavimentum mei cubiculi, quibusdam ramis pulcherrimarum frondum, quæ olebant & fragrabant suavissime. Erant vestiti auro & gemmis, gestabantque similes catenas splendidissimas in collo. Deinde conjectis oculis ad altare, vidit mea anima Majestatem Domini DEI Trini in Personis, & unius in Essentia, qui me specialissime illuminavit, ut cognoscerem magnalia hujus mysterij. Vidi sacratissimam Personam Patris, in specie viri gravissimi, & summæ Majestatis, qui in sacro suo sinu tenebat Personam sui Filij, DEI & Homini veri, modo quodam mystico, acsi depositus esset ex cruce. Persona Spiritus sancti erat in medio, aliquantò tamen vicinior lateri dextro duarum Divinarum Personarum, in specie multorum radiorum lucis & claritatis, instar ignis. Postea vidi illum magnum Dominum venientem ad me, comitantibus ipsum multis sanctis Angelis, à quibus sono & cantu celesti laudabatur, ac benedicebatur, propter id, quod est in se ipso, & quod præstat suis creaturis. Postquam ad me pervenisset, dixit mihi quàm gravissime, unaque suavissime: Anima, & Creatura mea, suscipe in te tuum verum DEUM ac Dominum, à quo repleberis solatio, ac ditaberis. Et proxime ad me accedens, applicuit meum os & labia suo sacro pectori, atque tum, abrepta ac unita meâ animâ cum Verbo Divino, & omnibus tribus Personis Divinis, sensi intrâ me totum illud sacratissimum mysterium, sicut initio, cum nescio qua bonorum abundantia, quæ mihi Dominus communicavit, videbantur enim esse infinita, ac talia, quæ ego nescio explicare. Manebam satis diu in hoc raptu, & angebat me quandoque sollicitudo, quod mihi sumendum esset Venerabile Sacramentum ex manu Sacerdotis, qui dicebat Missam, quodque non essem futura disposita pro e-

licendiſ actibus internis, requiſitis ad Cõmunioneſ. Interea mihi Sacerdos attulit Sacroſanctam Eucharistiã, & ego neſcio, an illum oculis conſpexerim, ſolum vidi ſacram Hoſtiam, quam ſumpſi, egiq; cum Domino modo meo conſueto. Et poſt peractas gratias, mei Domini Angeli inceperunt colligere ramos, quibus exornaverant cubiculum, atque alij minores Angeli illos iuvabant, collectasque frondes tradebant ipſis. Dum ego viderem hos ramos tam pulchros, & olentes, inceſſit me quaſi deſiderium habendi unius, dixique ſanctis Angelis: Mei Domini, vellente mihi dare aliquem ramum? Reſponderunt duo ex ijs quã benigniſſimè: Omniſo Soror. Et accedens ad me unus, volebat ponere ramum ad meam manum, quã ego retraxi celeriter, & dixi: Non, Domini, ego hoc nolo. Sanctus autem Angelus quaſi violentè mihi illum obrudebat, & ego ipſum conabar rejicere. Tum dixit Angelus: Optime feciſti Soror, quòd nolueris ramum viſibilem oculis corporeis, ſiquidem ex tua natura & timoribus ego colligo, & intelligo, quòd, ſi acciperes ramum, vel ego tibi illum hic relinquerem, turbareris & affligereris vehementer, quia tibi videretur fuiſſe opus & ludibrium diabolicum: ſed ego tibi illum dabo alio modo, & ſicut tu viſ, ſpiritualem, qui te non turbabit, & corroboret tuam debilitatem. Atque paulò poſt dignatus eſt ipſum mihi dare modo ſpiritualem, uti dixerat. Hunc ego ramum ſuſcepi cum magno ſolatio, & guſtu, percipiens virorem ac ſuavem ejus odorem, & amplexata ſum illum, atque per aliquot dies continuè ſenſi ex eo vires ac vigorem derivari in meam naturalem debilitatem, meque corroboreari in meis deliquijs.

§. V.

ALiã vice (in Septembri anni 1621.) egerã magnã parte noctis cum DEO, repetendo frequenter cum ſummo & intimo affectu hæc verba, quæ illi ordinariè ſoleo dicere: Mi DEUS, adjuva me, mi DEUS, doce me, mi DEUS, rege me,

& illumina me. Reſpondit mihi Divina Maieſtas: Faciam, quod dicis; ſed veni jam mecum, & quieſces in me. Et ego illi dixi: Eamus, mi Domine, eamus, quòd tu volueris, quia in hoc conſiſtit omne bonum meum. Statim vidi coram me Perſonam Divinam Patris, non in ſpecie humana, ſed in ipſius immenſa & ſpiritualiſſima Eſſentia. In hoc Domino, & quaſi in ipſius ſacro pectore, noſtro modo loquendi, conſpexi quandam magnam ſtellam, inſtar Solis, ultra modum lucidam, quæ erat ſymbolum & figura ſacraſſimæ Perſonæ Verbi Divini. Hæc ſtella coruſcabat infinitis radijs, qui erant quaſi toti aurei, ignei, & lucidiſſimi, ac ſplendiſſimi, & extremitatibus ſingulorum hujusmodi radiorum ſingulas myſticè contingebat creaturas, adeo ut ipſæ omnes exiſterent in ſuo DEO, & hic Dominus earum Creator exiſteret in illis omnibus hoc modo mirabili: & ipſe illis dabat eſſe, quod habebant, eaſque conſervabat, & in eo vivebant ſingulæ, juxta ſuam ſpeciem. Dum id ſpectarem cum ingenti ſtupore ac attentione, vidi ex medio illius ſtellæ procedentem radium fortiorem reliquis, ac magis aureum, & lucidiorem, magisque urentè, ut videretur in ſe complecti multos radios conjunctos, qui rectã tendebant ad feriendam me, ut ingrederetur, penetraretque intima viſcera mea. Pervenit hic Divinus radius ad meam animam, & operando id quod dixi, occupavit illam magnã vi, deſiſitque ſe in ea ſuaviter, non tamen abſque ſpeciali ſenſu, communicando etiam corpori quendam quaſi dolorem. Verum anima per eum radium aſcendebat, & intrabat in ſuum DEUM, donec pertingeret ad ſupremum locum, in quo ipſe erat, & ex quo procedebat illa Divina & cœleſtis ſtella. DEUS quoque ipſius deſcendebat eadẽ viã, & per eum Divinum radium, ad illam, uſque ad ejus intima, & partem ſuperiorem, ibique ſe ipſi communicabat. Deinde mihi dixit Dominus: Iſtud myſterium, quod modo vididiſti, Anima mea, ſignificat ſtatum præſentem, in quo es. Summè mirabar, & clarè cognoſcebam, à DEO illuminata, infinitam ejus bonitatem.

ratem, potentiam & misericordiam, propter quam se eâ ratione communicabat animæ tam imperfectæ & miserabili, quàm est mea, & cum ita admirarer ac ferverem, adverti in me nescio quem appetitum insolitum narrandi meo Confessario hujus mysterij, & cum ego me propter illum reprehenderem, dixit mihi Dominus; Noli mirari, Anima, istud tuum desiderium, quia caret defectu & culpâ, sicut culpandus non esset Vasallus, cui Rex donavisset præclarum aliquod cimelium, si lætus curreret ad suum Parentem, ostensurus illi istud tam pretiosum munus. Vehementer obstupui, denuò expendens Clementiam & Bonitatem mei DEI, quòd ad tales usque descendendo minutias, eo modo se communicet animæ, ut illam confoletur.

§. VI.

DUm alio die (in Martio anni 1622.) agerem cum DEO, & essem valde afflicta, more solito, dixerunt mihi sancti Angeli: Soror nostra, es afflicta, veni nobiscum, & quiesces. Collocaverunt me in quadam quasi sella, tuleruntque paula-

tim, elevando me ad cœlestem Jerosolymam, pertransiveruntque quosdam collos, donec eò pervenirent. Postquam illuc pervenissent, præsentaverunt me Beatissimæ Trinitati, & ibi me prostraverunt, atque in momento, instar fulguris, mihi se videndum exhibuit Divinum illud Esse. Fuit ea res admirabilissima, sed perbrevis, quia si duraret, non posset perferri absque jactura vitæ. Post hoc Pater æternus imposuit meo capiti coronam ex auro purissimo, firmiter illi inhærentem, & Filius DEI mihi apposuit aliam, Spiritus quoque sanctus aliam; deinde omnes tres Divinæ Personæ me exornaverunt catenâ ex pretiosissimo auro, quam singulæ sustinebant, & ego eram in medio catenæ, ita ut catenæ illa aurea pretiosissima complecteretur omnes tres Divinas Personas, unâque meam animam, arctissimè adstrictam & unitam Divinæ Majestati: in qua unione mansi diu. Accessit postea Dominus meus Angelus Custos, & spoliavit me coronis, atque catenâ, & asseravit in se ipso; Dominus autem mihi quædam est loquutus, datâque mihi suâ sanctissimâ benedictione, me reliquit.

CAPUT X.

De admirandis Visionibus, quas habuit de Beatitudine, deque ejus origine, & causa, quæ est Visio DEI TRINI & UNIUS, nec non de Gloria Agni, & quos ob fines hæc ipsi fuerint communicata.

Multa & valde mirabiles fuerunt revelationes, ac visiones, quas Venemibilis Marina de gloria & vita æterna, quam speramus in celo, habuit, concessas ipsi

à DEO, propter tres altissimos fines: nimirum, ut illi declamaret istum Fidei articulum, quem credere plurimum nostrâ interest, sicut ipsi fuerunt declamati alijs; atque etiam ut restingeret, temperaretque aliquantum ardentem amorè ac desideria, quibus ad ipsum videndum impellebatur, solareturque illam

& recrearet instantis doloribus, quos perpeiebatur. Quamvis autem hæcenus commemorata sint multa revelationes hujus generis; recensebimus tamen modo alias insigniores, quæ omnibus erunt ingenti solatio, & magnopere proderunt, pro obrinendis quædam finibus, eliciendoque ex ipsis alio fructu, quem illa elicit, cujus continuuum exercitiu erat petere hoc tantum bonum, pro omnibus proximis, conditis ad illius consequationem.

Quædam vice, inquit, cum vacarem orationi, dixi ad DEUM magno affectu: Domine mi, adest ecce tua mendica, infir-

ma,

na, & inops, nuda & lacera, ac derelicta, omni virtute vacua. Venio autem peti- tum elemosynam pro me, & pro meis pauperibus ac indigis fratribus, qui degimus in isto exilio, adeo omni ope destituti, & versamur in periculo perdendi te Bonum infinitum. Da nobis aliquid, Domine, Pater misericordiarum magne, dives & potens, qui non depauperaris, tametsi multa des tuis pauperibus creaturis: quia es ipsa abundantia, imò dum das, magis ditaris, quantum quidem id fieri potest. Tum mihi manifestabat Dominus, suo lumine suam Majestatem, & infinitas divitias, cum magno meo solatio & gaudio, cordisque ipsum amantis ardore, ut ea quæ agnovi, nesciam explicare. Consideranda autem tacite dicebam: Si cum ipso exiguo lumine, quod à Domino habebam, fui tam beata, ac tantà sum delibuta voluptate, qualem necesse est gloriam esse Beatorum Spirituum, qui clarè vident ipsius Majestatem, & divitias hujus magni DEI ac Domini, cui, nescio quâ audaciâ, dicebam: Videtur hoc mihi esse, mi Domine, tale quid, ac erat, quando myops ille nuper versabatur inter quosdam bono præditos visus, qui recreabantur, ac ridebant, videntes volantem quandam avem: quem risum ipse audiebat, ac attollebat unâ caput, ridebat & gaudebat, quasi idem videret, quod alij, tantum quia auditu percipiebat eos plausus, credebaturque esse verum, quod illi dicebant: Talis ego nunc sum. Dilecte animæ meæ, ac Domine mi.

§. I.

Aliam visionem ita refert: Dum, inquit, mea anima vehementer optaret esse in cœlesti sua patria, quia Dominus ac DEUS ipse, quem propter solam illius bonitatem amabat, & cui desiderabat servire omnibus suis viribus, illi indulgebat hoc desiderium, idemque fovebat atque incendebat, videns se ita dependere ab hoc suo Domino & summo Bono, ut ab illo neque cruciatu dolorum, ac diuturnorum tormentorum, & afflictionum corporis, neque obscuritatibus, tenebris ac derelicti-

onibus posset avelli, nec etiam liberari aut exolvi illis vinculis, & unione, quâ illam ipse DEUS sibi adstrinxerat, ex mera sua bonitate: considerans quoque se quasi exulare à sua cœlesti patria, concipiensque spem, quam ipsi Dominus dabat illius obtinendæ, eaque fruendi, propter bonitatem & merita Domini nostri JESU Christi, tam firmam, ut illam hac de re quodammodo securam redderet ac certam; agebat, iterando hujusmodi desideria & affectus frequenter de hoc negotio cum DEO, qui aliquando illi dixit: Es afflicta, mea Amica, ac optas migrare. Expecta parumper, ostendam tibi aliquid pro tuo solatio & refrigerio: Visne? inquit Dominus. Ego verò respondi: Nullam vellem Domine in isto exilio quietem, nec solatia; quod si tu nihilominus vis, ex tua bonitate, & altissimis judicijs, fiat in me tua amabilissima voluntas. Hoc dicto, elevavi, DEO sic volente, oculos, & contempsi mirabiliter apertos Cœlos, usque ad summum, ac utrinque sese contrahentes, ut per illos pateret pulcherrima & longa via, quæ incipiens à terra, pertingebat ad altitudinem supremi cœli. Erat ista amœna & admirabilis via, plenissima utrinque Angelis DEI speciosissimis, & ornatissimis, in termino verò illius & summitate apparebat quoddam amplum & gratiosum spatium, per quod videbatur clarissimè tota illa beata Civitas cœlestis, unâ cum ipsius Incolis & Aulicis. Vidi proinde, quomodo gauderent abundarèntque Divinâ suavitate, ac beatitudine æternâ, Animæ & Spiritus, viverentque felices, & commorarentur in illa terra viventium, loco pacis & quietis perpetuæ; vidi pariter, quasi in ictu oculi, & momentaneè, meâ opinione, fontem, originem, & causam illius Divinæ beatitudinis, quæ beatas reddebat & replebat illas animas sanctas, ac spiritus beatos. Hæc vidi, modo tam mirabili Divino, & sublimi, ut nullus intellectus posset assequi, vel comprehendere quid fuerit, etiamsi mea anima id viderit, intellexerit atque cognoverit pro suo captu. Postquam fuisset contemplata hæc mysteria, & accepissem à Domino tantas gratias, descendi ex eo

loco, deducuntibus me Angelis, ac statim fuit clausa illa admirabilis via, conjunxeruntque se Caeli. Et stupebam plurimum, erámque plena solatio, ac attonita, quòd tam admiranda viderem, & agebam magnas DEO gratias, pro eo, quòd est in se ipso, quòdque nobis præstat suis miseris creaturis. Remanserunt autem ita meæ memoriæ, intellectui ac voluntati impressæ istæ veritates, quæ mihi fuerunt manifestatæ, id quòd diu duravit, duraturumque dixit Dominus per decursum vitæ meæ (mortalis) ut semper haberem præsentem illam felicem patriam, vidererque mihi meâ memoriâ, intellectu ac voluntate illam inhabitare, tametsi pars inferior viveret, pateretur ac operaretur in exilio ea, quæ DEUS jubebat & volebat, posthabitatis omnibus alijs rebus, quamvis id faceré cum multis defectibus, quibus scatebant omnia mea opera, eò quòd non responderem eâ fidelitate, quâ debebam, tantis gratijs acceptis à Domino Majestatis: persuasitque Dominus meæ animæ usque adeò istam veritatem, & articulum nostræ sanctæ fidei, quem mihi manifestavit, dari nimirum vitam, & beatitudinem æternam, ut sæpè dicerem, quòd habebam intimè cordi meo infixum: Ità est, vidi enim hoc meis oculis; quia mihi à Domino fuit ostensum: & præ admiratione ac fervore, quem inde concepi, puto me fore paratâ, perambulare vias & plateas hujus mundi, clamando ac dicendo: Videte fideles JESU Christi, quid ego agnoverim & viderim meis oculis, eò quòd mihi DEUS manifestaverit, veritatem videlicet nostræ fidei, quæ nos docet, dari vitam & beatitudinem æternam, absit ut illam perdamus.

§. II.

Sequens visio etiam ostendit, quantum DEO placeat, dum acquiescimus ipsius voluntati, si subtrahat hujusmodi gratias. Dum, inquit, aliquando essem meo more collecta, dixit mihi Dominus: Amica, veni mecum, es enim afflicta, & ostendam tibi mirabilia, quæ te multum recreabunt & consolabuntur. Hoc audito, respondi

tora amore ardens: Eamus, Domine, eamus unâ, quò tu volueris. Et expolians se mea anima quàm celerrimè veteri pelle naturæ, adhæsit lateri sui Domini, affixitque se ipsius pedibus. Cùm me Dominus videret adeò determinatam, dixit mihi: Paulatim, paulatim, soror, quid facis tantumne attentas? Ego verò respondi: Dixi tibi, Dilecte animæ meæ, ac Domine mi, ut eamus ad gaudia, ad quæ me invitatis: sed dico tibi nunc etiam, me libenter velle remanere, si sit tua sanctissima Voluntas, in meo fimetò & sterquilinio. Postquam hoc dixissem, reperi me demersam in fundum naturæ, quia mihi videbar esse in gravissimum conversa plumbum, nec vidi Dominum spatio, quo symbolum Apostolorum ter posset percurri. Non fui propterea afflicta, quia eram unita cum Divina voluntate, verum post hanc moram, Dominus ad me redijt, alloquensque me, peramanter, dixit mihi: Plurimum mihi placuit tui animi promptitudo, & subdixi me tuo conspectui hoc brevi tempore, ut te viderem elicientem actus demissionis: sed modò veni mecum, Amica. Hoc dicto me duxit Divina Majestas ad cœlestem Jerosolymam, ubi mihi ostendit mirabilia. Vidi illam plenam rivulis purissimis, pellucidissimis, & pulcherrimis, qui significabant pretiosum sanguinem Agni Divini, effusum pro nostra salute ac remedio, unde exornabantur ac illuminabantur mirabiliter illa cœlestia habitacula: vidi etiâ in vultibus singulorum cœlestium Palatinorum, & spirituum beatorum, qui mihi fuerunt ostensi, quendam rorem, seu guttam pretiosissimi sanguinis, quæ mirabilis & Divino modo exhibebat, ac declarabat virtutem ac vires, quas dederat & communicaverat illis cœlestibus spiritibus, ut propterea essent Beati, & possiderent tam fortunata ac admiranda bona. Hoc visore divi ad meum exilium, jubente meo Domino, qui me eò deduxerat.

§. III.

Aliâ vice me DEUS præmonuit, semihic præstiturum magnam quandâ gratiam.

tiam, & ostensurum pretiosum conviviū, unde mea anima esset habitura solatium, & replenda bonis. Contuli me paulò post ad templum Domus Professæ Societatis, & cum ibi essem, nihil prorsus cogitans de eo, quod mihi Dominus dixerat, raptusum in ecstasim, ut quasi essem destitutus sensibus, spiritus autem meus fuit translatus ad cœlestem Jerosolymam, ubi conspexi opiparam & pretiosam mensam, cui affidebant insigniores Incolæ illius cœlestis Aulæ, quales erant Apostoli & Prophetæ. In hac mensa proponebatur quidam Divinus cibus, magni pretij & valoris; cujus excellentiam admirans, interrogavi Sanctos Angelos, qui me illum adduxerant, qualisnam esset ille cibus tam Divinus, qui adeò satiaret ac delectaret, & repletet bonis animos illorum feliciū convivarum? Responderunt mihi, esse, & vocari Agnum DEI, Filium Virginis; & ego illum videbam, & agnoscebam ita esse, sed tacebam stupens, desiderando illa bona. Sancti Convivæ intelligentes, quid ageretur in mea anima, mihi dixerunt: Adverte, Amica, noli affligi, quia tibi hic servabitur tua pars, & portio, pro destinato tempore. Id me affecit solatio, atque cum oculis lustrarem illum felicem locum pacis, & quietis, vidi innumerabiles Sanctos ordine dispositos, quibus, quasi manu & ministerio sanctorum Angelorum, dispensabatur ille cibus, stipantibus iisdem sanctis Angelis illum Dominum, eisque inservientibus, qui erat cibus illorum Beatorum.

Deinde conjectis oculis ad aliam partem altiorem, & eminentiorem, conspexi thronum Divinæ Majestatis, & in illo sanctissimam Trinitatem, quæ mihi revelavit mysterium trium Divinarum Personarū, eo modo, quo aliàs fecerat, in quibus cognoscebam unam solam ac Divinam Essentiam, unum DEUM, unum Dominum, ex quo egrediebatur lux quædam inaccessibilis, & summus splendor, cujus virtus ac pulchritudo, & infinitum Esse, beatos reddebat illos Sanctos, & illuminabat, totosque permeabat suâ illâ luce & virtute, singulos juxta suum statum, ac locum, quæ illic obtinuerant pro suis meritis, adeò ut

singuli, & omnes simul, evaserint toti gloriosi, resplenduerint, fuerintque lucidiores, & incomparabiliter pulchriores Sole. Spectavi hoc aliquamdiu, & sancti Angeli, qui me eò adduxerunt, subito me volebant deducere ad locum mei exilij: quanquam ego desiderans prius loqui Christo Domino, peterèq; ab illo gratias, dicebam ipsis, nè me abducerent tam citò, volebamque illis resistere. Tandem consenserunt, ut facerem, quod petebam: Verum statim atque sum loquuta Divinæ Majestati, iterum me voluerunt deducere, quibus rursum dixi, ut me relinquerent, eò quòd haberem plura dicenda Domino: Sed illi me nolebant ducere ad illum beatum locum, in quo erat Dominus. Qui videns quid fieret, collocavit se, ubi desinebat descensus illius viæ, & alloquens me quàm suavissimè, dixit: Filia, vade in pace, audivi enim ac intellexi tua desideria; & postquàm mihi dedisset suam benedictionem, fuit tectus nube splendidâ, atque ego plena solatio mansi in templo, ubi antea fueram.

§. IV.

Admirabiliorem visionem de gloria Beatorum, deque modo, quo sunt Beati, habuit in Junio anni 1615. Dum essem, ait, valde infirma ac debilis; mei sancti Angeli, jussu DEI, me voluerunt ducere ad locum, quem ipsis designaverat, & derepentè me inveni extra lectum, ac indutam veste coloris cœlestis, quæ erat instar longi pallij. Nescio, an id factum sit in spiritu, an verò re ipsa fuerim vestita corporaliter, quia hoc non adverti, sicut aliàs soleo advertere, ac distinguere: solum scio, meum sanctum Angelum Custodem fuisse sollicitum, ac disposuisse, quomodo consisterem in quadam quasi sella, nè irem pedes, propter meam debilitatem. Ita confidentem me tulerunt mei sancti Angeli, & meus Custos, cum quibusdam alijs, qui tunc primum advenerant, ad ingressum cujusdam magnificæ aulæ, amplæ, latæ, & valde longæ, cujus muri videbantur esse ex auro purissimo, & cœlum illius seu laqueare collucere pretiosis ornamentis stellarum, pavimen-

mentum autem apparebat esse cœleste. In aditu istius aulae ascendebatur per quosdā gradus ejusdem pretij, elegantiae & pulchritudinis, cujus erat ipsa aula. Portaverunt me per illos sic sedentem, & cum pervenissem ad ingressum ac portam, erexerunt me in pedes, atque tum illam pertransivi, & summē stupui, videndo rem tam pulchram. Postquam pervissem ad illius finem, meque vertissem quasi ad unam partem, erant ibi alij gradus, & post hos alij, alijs semper pulchrā proportionē, altiores, magnique ac inestimabilis pretij, ut non reperiatur quidquam in mundo, cui possint comparari. Per illos me duxerunt sursum ad alium locum, qui meā opinionē erat speciosus, & locus beatus, ubi erant multi sancti Beati, & Angeli DEI, omnes ipsos vidi confusē, quin ullum speciatim agnoscerem. Ob hanc visionem ita fui mihi derepentē erepta, & quasi oblita, omnium rerum, non solum terrenarum, sed etiam cœlestium singillatim, quia tantum confusē aspiciebam, & indistinctē universalitatem, amplitudinem, & plenitudinem omnium rerum, quas non potest capere humanus intellectus. Vidi deinde Majestatem nostrī magni DEI ac Domini, qui mihi valdē suaviter & blandē dixit: Quomodo me non aspicias? Fui expergefacta quasi ex somno his verbis, & intuitum Domini, ipse quoque me aspexit: atque his visis me transformavi totam, ut mihi videbatur, in ipsius Majestatem, ac insinuavi in illud Divinum Essē, cognoscendo quaedam ex ipsius Divinis attributis. Interea mihi dixit Dominus: Vidistine modum, quo mei sancti, & mei Angeli sunt Beati, & causam hujus beatitudinis? Ego respondi: Non, Domine. Visne id videre? aiebat Dominus: ego verò reposui citissimē: Itā, mi Domine, itā, Dilectē mi, volo hoc videre. Tum fui reducta ad extremitatem illius sancti loci, eram enim procul intus, atque ibi in momento, & celerrimē, in ictu oculi, mihi fuit ostensa, ac manifestata gloria illa Sanctorum, & modus, quo erant beati. Vidi illos habentes cognitionem sublimissimam de illo Divino Essē DEI, ipsiusque Divinis attri-

butis, & ardentes amore illius Domini DEI nostri, quo fruebantur, & quem intuebantur. Hæc omnia fuerunt peracta intra oculi ictum. Illo momento jam natura incipit deficere, & tota contremuit, eò quod non posset sustinere tantam magnificentiam, & gloriam repentinam, essetque attonita & consternata dicto spectaculo. Propterea me defecturam fuisse, si id duravisset diutius. Noluissē inde discedere, & relictabar; sed Dominus me ad id suaviter induxit, comitando me, atque Angeli me retulerunt ad meum angulum per eosdem gradus, ac aulam, per quam me attulerant.

§. V.

Aliquot annis post (in Octobri anni 1623.) dum vigilarem quādam nocte, nescio quomodo dixerim meis sanctis Angelis: Mei Domini, jam pridem non vidi cœlestem patriam: Illi responderunt: Si vis, rogabimus DEUM, ut te eò ducat. Et statim vidi, quomodo minor ex illis id petiverit à Domino, qui ipsis dixit: Jam scitis causam, quod nempe sit exiguis predata viribus naturalibus. Fiat tamen. Et in momento me sancti Angeli duxerunt, ut lustrarem illam cœlestem Jerosolymam tantum obiter. Post duos deinde vel tres abhinc dies, mihi dixit Christus Dominus: Volo tibi gratiam aliquam præstare tibi modo, quali nunquam tibi ullam præstavi. Cumque me permisissē ejus voluntati, ducta fui ab Angelis ad cœlum, & quasi in media via me sensi debilitatam ac fatiscentem, acsi illud iter peragerem corporaliter. Postquam fuissē ingressa in illam cœlestem Civitatem, vidi Majestatem DEI Trini & Unius, ac Filium DEI in sinu sui æterni Patris, nec non modum, quo ab ipso procedebat, & quomodo ex cognitione, & mutuo sui amore producerent Spiritum sanctum; quomodo item DEUS completeretur istas tres Personas; ita ut Pater esset totus ille DEUS, & Filius totus effectus ille DEUS, & Spiritus sanctus totus effectus ille DEUS, absque ulla divisione in Divinitate. Deinde vidi quosdam cœlestes Angelicos, qui mihi erant vicini, & agnovi, quomodo

modo, videndo & amando illum DEUM, eoque fruendo, essent Beati. Intellexi, ac vidi modum, quo participant hanc beatitudinem, per illam visionem sui DEI; & lustrando oculis illam supernam Civitatē, quæ mihi semper apparet in forma circulari, & latissima, vidi omnes choros animarum beatarum, participare singulas pro suo gradu, suam beatitudinem, per visionem ejusdem DEI. Tunc autem non cognovi ullam speciatim, sicut fit, si quis videat multos homines, sedentes in aliquo loco. Ego tenebar magnis desiderijs manendi ibi, & participandi illam beatitudinem, vehementer ad id anhelando instar infantis, qui videns magnum virum bibentem ex aliquo alto fonte, vehementer optaret pertingere etiam ad bibendum, sed propter suam parvitatem non posset. Dum hæc ita se haberent, venit ad me JESUS Christus Dominus noster in specie, quæ ipsum soleo videre, dixitque mihi: Modo id non potes consequi, ut impleatur

istud desiderium, quo teneris; sed veni, & ingredere huc in meum cor. Statim sensi, quod me Dominus univisset secum, intrà suum Esse Divinum, & in hoc Divino Esse sum contemplata beatitudinem Sanctorum, cognoscendo singillatim quosdam, ut fuerunt Sanctus Dominicus, Sanctus Ignatius, & S. Franciscus. Paulò post me Dominus iniecit in illud mare, & immensam abyssum sui Divini Esse, sicut alias sæpe fecerat, ubi non agnito ullo ipsius particulari attributo, videtur immensitas Divini Esse, quod est incomprehensibile. Et post aliquam moram, extraxit me ex illa abyssò, uniendo me secum alio modo: quia verò vehementer dolebam, quod exirem ex illa Civitate cælesti, ipse Christus Dominus cum meis Angelis venit, meque est comitatus ad meum cubiculum, quasi, ut minùs sentirem reditum, & postquam ibi modicum mansisset, abivit. Sit benedictus in æternum! Amen.

☩*☩*☩

CAPUT XI.

De eximijs fructibus, quos collegit, & gratijs, quas obtinuit in alijs Visionibus cælestis Gloriæ, qui sunt finis Orationis & Contemplationis.

Alias deliciosissimas Visiones habuit de his mysterijs, in quibus ipsi pariter Dominus manifestabat fructus, eliciēdos ex similibus contemplationibus, & gratias, quas ijs præstat, qui ipsos dignè estimant.

§. I.

Dum, inquit, vehementer flagrare amore summi Boni, ac Domini mei; dixit mihi Divina Majestas: Veni ad me, & quiesces, atque recreaberis; id enim tibi pro hac bona voluntate, & amore, quo me prosequeris, volo concedere, quod æquum est me facere. Hoc dicto, duo sancti Angeli ibi præsentēs, me duxerunt ad conspectum Majestatis Nostri magni DEI,

ac Domini, & mea anima fuit unita cum ipso in ea Divina Domo, ac cælesti Jerosolyma, ubi respiravit & quievit, amando suum DEUM ac Dominum, cum magna pace; & aliquantò post illi dixit: Dilecte animæ meæ, ac Domine mi, cum volueris pro tua bonitate mihi præstare tantam gratiam, ut me deduceres ad tuam domū, atque ad tuum conspectum, non cogito inde abire, nisi mihi des eleemosynam, & nisi auferam hinc aliqua bona ac divitias, pro mea paupere anima, ut exornata ac ditata tibi placeat, sitque accepta tuis Divinis oculis. Si enim Pater aliquis dives & potens in suam domum inducit filium inopem & indigum, atque degentem in terra aliena, ut ab illo ac in ipsius domo capiat solatium, & recreetur, quando discedit, reditque ad suam pauperem domum,

Pp

dimittit

dimittit illum oneratum opibus ac divitijs, nè deinceps vivat in tanta miseria & egestate: quanto magis tu, unicum Bonum meum, & Pater potens ac misericors, id poteris facere? Respondit mihi statim Divina Majestas quàm amantissimè: Sit ità, Filia, vide, quid reperiatur in mea domo, quidque tibi ex illa placeat, & hoc aufer, licet. Quo audito in eodem momento quàm velocissimè (quasi dicerem: properandum mihi est, priusquàm me hinc expellant) circumspexi & perlustravi illam cœlestem Jerosolymam, ac vidi gloriosum sanctum Franciscum, subitoque petij à DEO, ut mihi daret modicum humilitatis, quam iste Sanctus habuit. Vidi deinde gloriosum sanctum Dominicum, & rogavi Dominum DEUM, ut mihi daret modicum obedientiæ, quam iste Sanctus habuerat. Deinde aspexi & vidi Patriarcham Abrahamum, & rogavi DEUM, ut mihi daret modicum illius magnæ fidei & obedientiæ, quâ fuit præditus iste Sanctus Patriarcha. Et postquam ità collegissem ac petivissem à Domino has virtutes, habui ingens solatium, fuitque mihi satisfactum, cumque reflecterem oculos ad me, vidi intrâ me quandam maximam lucem & claritatem, & meam animam esse accensam, totamque ardere amore sui DEI ac Domini, quem ejusdem Majestas illi communicaverat, neque scivi, unde mihi advenisset tantum boni, ideoque fui attonita. Cum enim videam meam animam, plenam miserijs ac defectibus, potius poteram cogitare, ipsam esse obscuram, tetrâ, fœdam, & exsuccam, dicebamque intrâ me: Quomodo hoc fit? luxne & claritas DEI sit in anima caliginosa, ac nigra? estne possibile, ut ignis clarus, suavis & lucidus Divini Amoris, maneat in anima miserabili, tepida, & plena defectibus? Hæc mihi cogitanti dixit DEUS: Quare es tam attonita, & cur sic obstupescis, ob id, quod vides intrâ temetipsam? Dic mihi, si in aliquod obscurissimum conclave, ubi nihil posset videri, inferretur fax accensa, aut ingens lumen, & claritas, essetne mirum, tunc illud conclave, quod prius fuisset obscurum, valde illuminari & splen-

descere? Ità se modò habet, quod vides, quia etiam si tua anima ex se ipsa habeat obscuritatem, quam tu ei inesse dicis, vel cogitas, dum tamen ego in illam ingredi or per gratiam & propter lumen, quod illi do, acquirit ac habet eam claritatem, qui vides, & perdit obscuritatem, quam ex se poterat habere. His auditis mea anima vehementer ardebat ipsius amore, per multos dies, & DEUS illam frequenter uniebat secum, adeo ut videretur subinde vivere magis internè cum Divina Majestate, quàm hic in ista miserabili vita. *Hi sunt duo fructus, qui eliciuntur ex visionibus: unus est, ditari veris donis Domus DEI, quæ sunt excellentes virtutes Beatorum; alter vero, illustrari animam, & uniri DEO, ut magis vivat in illo, quàm in se.*

§. II.

Quodâ die (in Februario anni 1623) dum agerem cum DEO, mandavit meis Angelis, ut me ducerent post suam Majestatem ad cœlestem Jerosolymam. Subito fui mihi erepta, & illi me duxerunt ad conspectum totius Beatissimæ Trinitatis, ibique me proftraverunt in pavimento illius cœli, & Dominus me jussit elevari, dixitque mihi: Bene veneris, Anima. Lustra istam cœlestem Patriam, ac decerpe fructus, quos videris. Ego quàm avidissimè incepi quaquaversum apicere, ac vidi quoddam frustum vineæ mysticæ, & quasdam Divinas vites, valde splendidas, & mirabiles, quæ protulerant racemos grandium, & pulchrarum uvarum: propripui me, ut aliquas decerperem, & sustulit quinque: unus autem ex meis Dominus Angelis ibi flexis genibus tenebat sportam auream, & accipiebat ad illam racemos, sicut ego illos decerpebam. Tum dixit Dominus: Circumspice amplius, Anima. Circumspexi, ac vidi quoddam frustum segetis triticeæ jam maturæ, ac spicas instar auri splendentes, quarum tres decerpisti atque Angelus ipsas reposuit in sporta cum uvis. Adhuc aspice, ajebat Dominus. Aspexi, & vidi quandam fodinam thesaurorum, in quam quodammodo de-

scendi, ac inveni ibi grandem gemmam, quam arripui, & extuli foras, posuiq; cum ceteris in sporta. Post hæc sanctus Angelus tulit sportam plenam illo thesauro, & fructibus, rectam eleganti velo, quod ibi apparuit, cum comitatu multorum Sanctorum Angelorum, decantantium Divinas laudes, & celestis musicâ deprædicantium laudes Passionis, ac Mortis JESU Christi Domini Nostri, & sanctissimi Sacramenti Altaris, cum quibus ego quoque pergebam, & pervenimus ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, ubi omnes prostrati ostenderunt Domino sportam relectam, & fructus in ea repositos. Divina Majestas illis dedit suam benedictionem, & dixit: O quam elegantes racemi uvarum! ô quam admirabiles spicæ! quam fortunatus panis & vinum, atq; thesaurus Mortis ac Passionis mei Dilecti Filij, qui ditat animas! Offerte ista sacratissimæ Humanitati mei Filij. Tulerunt illa, cooperta velo, ad Divinam ipsius Majestatem, & Angeli humi prostrati dixerunt altâ voce: Magnas tibi gratias agimus Domine DEUS noster, pro magno beneficio, quod præstitisti hominibus, dum es pro illis mortuus, dedistiq; illis tanta bona & thesauros, ac te ipsum in alimentum, & cibum, sub speciebus panis & vini. Dominus aspexit fructus, & benedixit, atque sic Angelos peramanter est alloquutus: Dare illos isti Animæ, cui, velim, plurimum conducant. Tunc meus sanctus Angelus Custos eos accepit, & observavit intrâ se, quod est signum, illos manere spiritualiter intrâ me.

§. III.

QVodam die sancti mei Angeli Custodis mihi dixerunt alij mei Domini quatuor Angeli: Soror, pridem non vidisti celestem Jerosolymam, tuam Patriâ, quò tibi eundem est. Veni huc, & duceamus te ad illam videndam, quia sic vult Dominus, & jubet. Ego timens, more solito, sinxi me modicum surdam: Sed paulò post me duxerunt, & comitatus est me sanctus meus Angelus Custos, adhærendo semper meo lateri. Bene tunc ad-

verti, me duci in spiritu, remanereq; meum corpus in lecto, non mortuum, quia alijs vicibus nescio quomodo ducta fuerim. Modò mea anima ducebatur instar parvæ puellæ ad celestem Jerosolymam; ubi vidi maximum quendam Divinum Solem, qui omnia replebat, & suis Divinis radijs illustrabat, ac beatificabat universos Incolas illius celestis Jerosolymæ, itâ ut nihil speciatim cognoscerem, sicut alias. Tantum peculiariter illuminata vidi eam, quâ principalius ille Sol illustrabat, ac beatam supra omnem modum reddebat esse Sacratissimam Virginem Dominam nostrâ. Dum huic spectaculo essem intenta, idem Divinus Sol me apprehendit, attraxitque ad se, & secum univit, ponendo me intrâ se, ubi vidi ab illo Domino gubernari omnes creaturas modo admirabili, & mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ac alias res admirandas, quas nemo potest, vel scit explicare. Post hoc me exposuit ille Divinus Sol extra se, & reliquit me talem, qualis fui, priusquam in ipsum intrarem, habuique derепentè aliam unionem longè diversam, in qua vidi, fuerintque mihi ostensa mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Christi Domini, ipsius Incarnationis, Nativitatis, Mortis & Passionis, cum magna claritate, & meo stupore. His visis, fui constituta sicut initio, atque mei Domini mihi dixerunt: Soror, eamus, jam enim est tempus. Valdè id ægrè ferebam, & recusabam abire: illi verò me compellebant. Interea conspexi sacratissimam Virginem, venientem ex suo loco ad me. Postquam advenit, dixit mihi: Bene veneris, Soror, veni huc; & duxit me secum quasi ad sex passus, subitoque ipsius Majestas rediit ad suum locum, me relicta. Ego perrexi ulterius illum locum versus, in quo ipsa erat.

Deinde aliorsum aspiciens, vidi JESUM Christum Dominum nostrum, & illo conspecto, quasi omniù oblita, cucurri, contulique me ad Divinam Majestatem, cum magno impetu, & volui amplecti ipsius pedes, absq; ullâ aliâ consideratione. Dominus autem mihi dixit: Quid facis? abstine. Ego propterea vehementer eru-

bui, & procidi in pavementum, meque prostravi (pavementum illud erat instar cujusdam nubis) & Dominus mihi dixit: Surge, accede, & accipe. Tenebat in manu inter suos digitos pretiosissimum anulum, quem mihi porrigebat. Ego non fui ausa accedere propter meos timores. Sed meus sanctus Angelus Custos me urgebat, ut accederem, & acciperem anulum, atque Sancti Angeli idem dicebant. Quando ivi, ut acciperem anulum, non vidi ipsum, sed conplexi in manu Domini fasciculum valde elegantium & suaveolentium florum, quos mihi porrigebat. Expavi, concidique animo: & Dominus me iussit appropinquare, atque suscipere fasciculum, ac Angeli similiter me impellebant ad illum suscipiendum: appropinquavi, ut ipsum susciperem, & postquam illum Dominus dimisisset ex manu, nescio quomodo, cum illum vellem apprehendere, deciderit ad pavementum, totusque in momento fuerit dissipatus, dispersique sint quaquaversum flores. Quamvis autem erubuerim, vehementerque fuerim afflicta; nihilominus me inclinavi ad colligendos flores, quos omnes collegi, quam citissime. Injiciebam autem illos in linteculum, quo eram præcincta. Postquam eos omnes collegissem, meque erexissem, vellémque ipsos videre in meo præcinctorio, inveni omnes illos flores esse conversos in uniones, & gemmas. Vehementer obstupui, & fui confusa, nesciens quid facerem cum illis divitijs. Dominus autem mihi dixit: Modò vade in pace, jam enim est tempus. Et sancti Angeli me etiam urgebant ad abitum, sed ego noluissem abire. Dicebantque mihi Angeli: Non sit tibi molestum discedere, quia te manet æternitas gaudiorum. Nihilominus valde renuebam relinquere meum Dominum: neque etiam voluissem mecum ferre illas gemmas & uniones, quia mihi erant impedimento. Dominus autem mihi dixit: ut ipsos auferrem, & distribuerem meis amicis. Denique me Dominus secum univit, & inveni me cum ipso in meo loco. Desiderabam scire mysterium annuli, & florum: interrogavi de eo meum sanctum

Angelum, qui mihi respondit, ut scirem; brevi enim me id rescituram. Et post longum temporis spatium, nesciens quis me alloqueretur, audivi mihi dici: Annulus, quem tibi Dominus offerebat, significabat te esse Sponsam JESU Christi, & tanquã tali, porrigebat anulum sponsalitiũ. Fasciculus florum significabat præmium & mercedem tuorum bonorum operum, ac obsequiorum præstitorum DEO. Quod verò ceciderit ad pavementum, & fuerit dissolutus, significat, te fecisse ista opera, non propter præmium, quod pro illis expectas, sed tantum ut placeres DEO, exquererisque sanctissimam ipsius voluntatem. Atque hæc opera isto modo peracta, & cum hac voluntate, ita sunt DEO accepta, ut sint instar gemmarum ac unionum inæstimabilis pretij, & propterea flores fuerunt conversi in uniones ac gemmas. Cum desiderarem scire, quis me alloqueretur, sanctus Angelus mihi dixit, quod Spiritus sanctus mihi fuerit dignatus loqui, & explicare hoc mysterium. Dixit mihi præterea sanctus meus Angelus: Septem menses sunt, ex quo hic ita vicepateris graves dolores & afflictiones, quæ tribus mensibus fuerunt majores. Divide hæc merita cum tuis amicis, hoc enim est dare illis uniones & gemmas, si offeras Deo tua opera & afflictiones pro ipsis, ut satisfacias pro eorum peccatis, & impetres à Domino pro illis dona ipsius: noli verò oblivisci tuorum Confessariorum.

§. IV.

A Liàs (in Aprili anni 1616.) postquam ultra octiduum non accepissem ullã specialem & extraordinariam gratiam à DEO, placuit mihi id, propter molestiam, quam mihi adferebant timores, nè deciperer. Quãdam autem nocte dixerunt mihi mei Domini sancti Angeli, quòd mihi DEUS vellet præstare quandam gratiam, quòdque essem ascensura per quendam gradus, quos mihi ostenderunt, tendentes à meo cubiculo ad celum. Ego illis dixi, me non posse ascendere propter meam infirmitatem. Ipsi verò responde-

runt, quòd me essent adiutori. Tentaverunt me elevare, & ego eram tam gravis, ut me non possem movere; neque illi videbantur posse me elevare. Interrogaverunt Dominum, quare essem tam gravis? qui illis dixit: hoc oriri ex defectu, quem commiseram, immoderatè renuendo acceptare illius gratias. Sed tandem permisit, ut me elevarent. Incepi conscendere gradus initio cum magna difficultate: quantò autem magis ascendebam, tanto progrediebar facilius. Perveni ad altitudinem coeli, quod erat apertum: intravi, & postquam intravissem, univit se mea anima cum suo DEO. Paulò post data illi fuit alia unio diversa, & post modicum iterum tempus, est ipsi data tertia unio alterius generis, atque tunc illis dixit Dominus: Perlustra oculis hunc mundú, & videbis, quid fiat. Dum essem unita DEO, atque intrá ipsum DEUM, aspexi & vidi totum mundum, ac speciatim partem Christianitatis, & comiteantes omnes homines more solito, in quodam campo, in quo celebrabantur solennes nundinæ, seu mercatus, ementes, & vendentes, ac negotiantes; hos isto, alios alio modo; hos loquentes, illos ludentes, & ridentes cum magna inquietudine. Tantùm in quibusdam angulis erant nonnulli pauci quieti. Ità fit in mundo, dixit Dominus, sicut vides. Deinde descendi ad secundum gradum unionis, per quem ascenderam, atq; ibi mihi ostendit Dominus mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & quomodo Filius gignatur à Patre, ac hi duo se amando producant Spiritum sanctum, tam distinctè, ut possim sincère dicere, me id vidisse juxta meum captum, & scire, quod docet Fides, esse verum, cum id viderim: Post hoc descendi ad tertium gradum unionis, unde inceperam, ac tum vidi Personam Christi Domini nostri, DEI ac Hominis veri, qui mihi dixit: Perlustra hanc cœlestem Aulam, & videbis, quid sit in illa. Aspexi ac vidi omnes Choros Angelorum, & Apostolorum, ac Martyrum, aliòsque innumerabiles Sanctos cum Sacratissima Virgine, sed omnes confuse, ac si viderem aliquam congregatam multitu-

dinem. Deinde mihi dixit Christus Dominus: Cùm huc ascenderis, par est, ut auferas aliquid ex divitijs hujus Civitatis. Tunc me Divina Majestas induit pretiosâ togâ, quæ significabat immortalitatem, & subtus aliâ pretiosâ veste, imposuitq; grandem torquem meo collo ex pretiosissimis lapidibus, & erat in uno humero quidam, veluti Sol, in altero autem quasi quædam luna; ex torquis autem extremitate pendebat quasi quidam Agnus, qui repræsentabat mysterium Agni Paschalis, quem veteres sacrificabant, & caput circumdedit pretiosâ coronâ. Quando me vidi hoc modo ornatâ, prostravi me ad pedes Christi Domini, qui mihi dixit cum quadam quasi indignatione: Surge, tibi omnia videntur nova ac miranda. Fui afflictâ propter modum, quo mihi Dominus loquebatur. Dixit mihi præterea: His diebus deliquisti, dum tibi valde placuit, quòd tibi non præstiterim gratias solitas. Meritis castigari; sed cum hic defectus proveniat ex desiderio, quod habes, nè mihi displiceas, utque mihi sis grata, & ex humili verecundiâ, propterea non magnoperè mihi displicuit. Vade in pace. Et rapta in ecstasim me inveni in meo cubiculo cù eodem vestitu, atque Christum Dominum mecum, qui dixit meo Angelo Custodi, ut mihi auferret illas vestes ac cimelia, & conservaret; mihi verò dixit: Vale. Quando redij ad me, sensi me vehementer debilitatam, propter id, quod acciderat, & mei Sancti Angeli ad me accesserunt, meque confortaverunt.

§. v.

A *Lih vice (in Februario anni 1622.) illi Dominus manifestavit gradus Beatorum hæc ratione. Dum essem, ait, meo more collecta, vidi ex pectore JESU Christi Domini nostri, qui erat in cœlo, descendentem usque ad terram quandam scalâ. Eâ parte, quâ tangebatur ipsius Divinum pectus, erat admodum angusta, quâ verò tangebatur terram, erat valde lata. Conabar me avertere ab hac visione; verum quantò magis me abstrahebam, timens*

meam imaginationem, tantò magis illam mihi Dominus ponebat ob oculos. Videbatur mihi illa scala constare ex purissimo auro, & gradus erant splendidissimi, ac deinde vidi, quòd tota esset cœlum, & plena sanctis Angelis, qui per illam ascendebant ac descendebant; alij verò sancti Angeli ipsam undique circumdabant. Omnes gradus erant repleti sanctis animabus Beatorum, quarum aliæ consistebant in primis gradibus, aliæ altiùs, & aliæ in superiore gradu, omnes beatæ, quia fruebantur DEO, juxta sua merita; nullam tamen vidi ingredientem in pectus JESU Christi Domini nostri, præter solam ipsius sanctissimam Matrem, quæ erat summè felix & beata, fruebatùrque illà beatitudine præ omnibus reliquis Sanctis, & cum extraordinario excessu, etiamsi non comprehenderet totù illud Divinum Essè DEI, quod solum reservatum est ipsi DEO. Apud infimum scalæ gradum vidi etiam animas, & non paucas ex ijs, quæ vivebant in hoc mundo, fruebantùrque ibi illis bonis æternis per contemplationem, modo possibili in hac vita mortali; plures autem erant fœminæ, quàm viri. Dum hoc mysteriù contemplerer, accefferunt ad me sancti mei Angeli, & dixerunt mihi: Anima, veni nobiscum; quia Dominus mandat, ut ascendas per scalam ad ipsu Majestatem. Duxerunt me ad scalæ infimum gradum, & incepti ascendere, sed statim me impederunt alij sancti Angeli, qui custodiebant transitum, dicendo mihi: Anima quid agis? Siste, aliàs præceps ruës, quia hæc non potest ascendere ulla anima ex ijs, quæ vivunt in mortali corpore. Ego fui turbata, & mei Domini Angeli dixerunt illis, qui custodiebant transitum: Angeli sancti, DEI voluntas est, ut ista creatura ascendat per hanc scalam; sic enim nobis

mandavit. Hoc auditò, me permiserunt ascendere, & incepti progredi, atq; omnes Angeli me aspiciebant quasi admirandi, quòd me viderent, & dicebant, me audiente: Quæ est ista, quæ vivens in carne humana, huc ascendit? quæ est ista, cui Dominus exhibet tam specialem gratiam? Fateor me fuisse progressam cum confusione & pudore, eò quòd audirem talia dici: procedebam tamen, & ascendebam, usque dum pervenirem ad angustias scalæ, quæ erat acclinata ad pectus mei Domini, qui me introduxit per illam angustiam in secretum penetrale sui Divini pectoris. Erat valde arctum, neque poterat dilari, videbatùrque unà quàm latissimum, ut non posset coarctari, ex quo intelligebà, quòd DEUS ex se ipso, & ex suo Divino Essè tam magnus, felix & beatus, ut illum nemo possit neque dilatare, neque coarctare, nec illi quidquam addere vel tollere. In hoc Divino pectore Domini vidi mysteriù Sanctissimæ Trinitatis, modo possibili mee capacitati, & cognovi secreta, ac res admirandas de Divinis Attributis, quæ nequeunt explicari, omnia verò erant DEUS, ac amplius DEUS. Ibi me factus dñi detinui. Unde egressa vidi quosdam sanctos Angelos, tenentes quoddam velum in manibus, tinctum sanguine, porrigentesque illud Domino, quo me ipse cooperuit, dicens, ità mihi applicari merita Mortis & Passionis JESU Christi Domini nostri.

Tunc illi patefecit Dominus secretum sui cordis, concernens ipsius corpus & cineres, referendum in libro sexto. Quod hic dicit, se fuisse ingressam in secretum penetrale Divini pectoris, intelligendum est, non quòd ità in illud fuerit ingressa, sicut dixit edintrovisse Beatissimam Virginem, sed per modum contemplationis, convenientis viventibus in carne.



CAPVT XII.

Quomodo viderit magna mysteria cœlestis Civitatis, ordinem Beatorum & Pompam, in qua Christus Dominus vehebatur curru triumphali, ac de alijs gratijs, quas est consequuta.

§. I.

DUm aliquando ægrota- rem, invasit me dolor quidam naturalis, quod non possem adesse supplicationibus, institui solitis in honore Venerabilis Sacramenti, & videre ibi Christum Dominum, sicut consueveram. Tunc mihi dixit Dominus: Noli id ægrè ferre, quia ego tibi ostendam Processionem, quæ tuam animam ingenti replebit solatio. Ipso itaque jubente, Angeli me duxerunt ad quandam pulcherrimam & maximam aulam, quæ amplitudine par erat alicui pulchræ Civitati, & exornata pretiosis tapetibus, ac aulæis, quæ auro nitebant ac gemmis, & in singulorum medio spectabatur delineatus atque expressus quidam cœlestis Agnus candidissimus, aureâ redimitus coronâ. In ista aula confidebant suo ordine distributæ in inferiores & altiores choros, Personæ gravissimæ, splendide vestitæ, ac adornatæ, quarum vestes representabant ac significabant eximias & præclaras earundem virtutes; idemque indicabant pretiosi tapetes, appensi in hac mystica aula; in qua istæ cœlestes Personæ quiescebant ineffabili gaudio affluentes. Agni coronati, quos vidi expressos in medio illorum pretiosorum aulæorum, significabant Christum Dominum Regem nostrum, in quo, & per quem opera ac virtutes admirabiles eorundem Sanctorum vitam habebant, & valorem, ideoque ipsi glorificantes eundem Dominum, deponebant ad illius pedes, eique offerebant dona, quæ ipso favente ac adjuvante erant promeriti.

Interea fui ducta ad quandam grandem

portam, pretiosissimis coopertam tapetibus. Quæ hæc portâ claudebantur, & intrâ illam fiebant, erant tam sublimia, ut ea nulla pura creatura in ista mortali carne possit comprehendere, vel assequi: tamen per quandam rimam, seu hiatus patentem, quâ parte peristromata invicem ne-ctebantur, mihi apparebant paucissima, quædâ ex ijs, quæ intus erant, & agebantur. Incitata verò ferventi impetu, ut plura viderem, si possem, & liceret, constitui me in limine portæ: sed quamprimum id feci, occurrit mihi quædam gravissima persona, maturæ ætatis, valde venerabilis & magnæ majestatis, dixitque mihi subaspere: Abscede hinc, quænam es tu? Ignorâ: ne fortè, neminem viventem in carne mortali posse huc intrare, ubi residet Regia Majestas, estque Archivum, in quo sunt repositi thesauri ipsius magnalium, & mysterio um, ac Divinæ Sapientiæ? Hoc audito extimui, & retrocessi quasi ad passum, sed non cessabam introspicere, quantum poteram, per juncturam illorum peristromatum, visura quid ibi esset, ac ageretur. Atque tum DEUS contulit meæ animæ maximum & clarissimum lumen, quo cognoscerem mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & perfectiones Divinæ Personæ Christi Domini. Licet verò mea anima non esset capax tantarum rerum, quantas contemplantur, cumulabatur tamen magnis bonis, & replebatur ingenti solatio ac stupore: sed tandem cum non viderem ullum notum, recedebam, & circumspiciebam quaquaversum. Atque ecce conspexi Majestatem Christi JESU Domini nostri. Non potest explicari gaudium, quod mea anima ex hac visione percepit. Videbatur enim sibi vidisse, & reperisse suum Patrem, suum Dominum, suum Regem, & unicū suum

suum consoletorem, sibi que apprimè notum, eò quòd ipsum toties viderit, audiverit, & allocuta fuerit, propter ejus bonitatem. Tunc anima defixit oculos in suo Domino cum magno amoris affectu, & Dominus coniecit suos in ipsam, quàm benignissimè, dixitque illi Personæ, quæ stabat ad portam: Permitte eam accedere, & spectare. Continuo sancti Angeli, à quibus eò fueram ducta, me duxerunt ad illam portam, & vidi ibi admirabilia; vidi thronum Majestatis DEI Trini in Personis, & unius in Essentia, quasi per quoddam velamen; quem Dominum dum sacratissima Majestas Christi Domini, quæ est Homo, demissè veneraretur, suscepit sibi ab illa magna Majestate datum Divinum quendam & mysticum amplexum, quo representabatur, & significabatur potestas ac dominium, quod illi Sanctissima Trinitas contulerat super omnes creaturas.

§. II.

DEinde vidi admirabilem, & elegantem currum, fortem, terribilem, ac stabilem, confectum ex purissimo & exquisitissimo auro summi pretij, qui totus erat circumdatus flammis vehementis, & suavis, ac purissimi ignis, coloris aurei, & aspectu jucundissimi. In isto curru mystico fuit, Divino quodam modo, collocatus Christus Dominus, indutus vestibus regijs, & redimitus coronâ, ex pretiosissimis lapidibus. Eundem currum trahebant & movebant, ut mihi videbatur, quatuor sancta animalia, pulchra, mansueta, candida instar nivis, & purissima: habebant speciem regionum equorum, quos tolutarios vocamus, & singuli gerebant in suo humero emblema, seu insigne perelegans ac varium, in quo erant facie tenus tantum efformati Taurus, Leo, Homo, & Aquila, in rotundo spatio lunari. Multi Angeli ibant immixti inter hæc sancta Animalia, quæ tametsi visâ fuerint, quemadmodum dixi, movere ac trahere currum, magis tamen ea dirigebat, à quo & movebantur, accipiebantque illam virtutem ac fortitudinem, Rex insidens curru,

qui erat præcipua Persona illius mysterij. Et statim mihi fuit dictum: Iste triumphalis currus, quem vidisti, representat Ecclesiam Catholicam fidelem, terribilem, fortem, veracem, & permanentem, cujus supremum caput est Christus Dominus, qui illam regit & gubernat, confertque ipsi robur, ac vitam. Quatuor sancta Animalia, quæ spectavisti, & à quibus videtur moveri, atque trahi currus, sunt figura quatuor sanctorum Evangelistarum, qui tanquam coadjutores trahunt currum, & illum Divinâ luce sacrorum Evangeliorum illuminant.

Post hæc omnia incepit moveri quædam cælestis pompa, hunc in modum: Precedebant suo ordine multi sancti Angeli, deinde innumerabilis multitudo, tum eorum, qui cœlibes extra claustrum in privatis vivunt ædibus, habitum gerentes religiosum, & plerumque obeunt in gratiam DEI; tum infantium, qui è vivis exceperunt, lustrati aquâ sacri Baptismatis. Illos sequebantur Beati Religiosi, qui post exactam suam vitam in sanctis operibus fruuntur præmio, quod ijs promeruerunt, adjuvante Divinâ gratiâ. Post hos ibant omnes sancti Patriarchæ Religionum, & sancti Confessores; deinde sancti Martyres; tum beati Eremitæ & Anachoretæ; & post illos Prophetæ, ac sancti Doctores Ecclesiæ. Tandem proximi Regiæ Majestati, stipabant ipsius dextram & sinistram sancti Apostoli. Omnes hi Beati erant, quos videram confidentes in illa pulchra & magna aula. Progrediebantur dispersi in duos ordines, utrumque circumdantes illum admirabilem thronum, & quemlibet ordinem comitabatur, atque complebat ornatus gratiâ alius sanctorum Angelorum. Hoc modo, & isto ordine incepit moveri hæc sacra Pompa, circa illud Tabernaculum Divinæ Majestatis. Precedentibus ita omnibus istis Beatis, prodit deinde Majestas JESU Christi Domini nostri per illam grandem portam, in eo pleno mysterijs curru, eo modo, quo dixi, & coniecit suos sacros oculos in me, quæ ibi prope ipsum aderam, spectans cum admiratione id quod fiebat, datâque mihi

suâ sanctâ benedictione, cum iudicio magni amoris & benignitatis, mandavit sanctis Angelis, à quibus fueram adducta ad istum locum, ut me adducerent ad ejus Majestatem, ideoque me adduxerunt cum notabili solatio meæ animæ. Vidi tum, post Majestatem hujus summi Regis euntem Virginem MARIAM Matrem ipsius, & Dominam nostram, cum comitatu innumerabilium Angelorum, & Beatorum Spirituum, plurimarum Virginum & Martyrum, ac sanctarum Matronarum, DEO que dicatarum Sanctimonialium. Hoc modo processimus; nam & ego miserabilis ac indigna ibi fui cum ijs Cæli incolis, qui omnes unâ cum Regia Majestate sunt reversi per eam grandem & principalem portam, ex qua fuerunt egressi; ego verò remansi ad illius limen, ubi vidi, quod, cum se inclinaret tota ea cœlestis Aula, egoque simul cum reliquis, magnus ille Rex JESUS Christus Dominus noster imperitius fuerit peramanter omnibus suam sanctam benedictionem; quo ipso momento resonavit Divina, cœlestis, & Angelica musica; ac tum fui reducta ab illis sanctis Angelis ad meum exilium, ubi sacratissima DEI Majestas mihi communicavit nova desideria sui amandi ex toto meo corde & anima, omnibusque meis viribus ac visceribus.

Hec apparitio fuit verè admirabilis, ne schema quoddam illius gloriosi currius, quem vidit Propheta Ezechiel, & Ecclesiasticus vocat currum gloria DEI, estque figura Ecclesie Militantis, ex qua ducuntur columna ad Ecclesiam Triumphantem, cujus utriusque Caput, Gubernator, & Rex Supremus est JESUS Christus, noster Dominus DEUS, & Homo verus.

§. III.

ALio Festo Sanctissimi Sacramenti, dum, inquit, optarem videre lumen cœli, quia habebam cor quasi oppressum, Dominus Majestatis mandavit, ut ministerio Angelorum ducerer ad cœlestem Jerusalem, in qua mihi fuit ostensus jucundus ille, & clarissimus æternæ lucis &

gloriæ dies; ubi commorabantur & latabantur, erantque beati omnes illi cœlestes Aulici. Detinuerunt me ibi aliquamdiu, & Dominus, magnam meæ animæ erga se tribuit confidentiam, ut sperarem me propter meram ipsius bonitatem, illum visuram, eoque fruituram in ea æterna & cœlesti Patria.

Post aliquot deinde horas respiciens Dominus angustias, quas eram passa, mihi dixit: Noli agrè ferre, Amica, quòd non fruaris die temporali, & cæteris creaturis, ac terrâ; quia etiamsi his ad majus bonum tuæ animæ, & gloriam meam careas, id tibi pròdest, siquidem omnia cedent in tuum commodum, manetque te cœlum, ac beatitudo, & ego ipse. Hoc audito fui turbata, eoque quòd essem tam indigna talia audire, & dixi: Quid est hoc? quis id dixit? Audivit me Dominus, & post modicam moram mihi respondit: Ego sum, ego sum, tuus DEUS, tuus Pater, ac tuus Dominus. Cum hoc audivissem, conquievi, & attollens oculos animæ, conspexi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, sed non audebam intueri ejus magnificentiam, quia incurtebam in ipsius gravissimos oculos, & mea anima percellabatur, nescio quo timore ejus magnæ Majestatis, ideoque meos subito iterum demittebam ad terram, & sic me prostravi ad ipsius sacratissimos pedes, ut non possem erigere caput. Dicebam: hinc volo manere, Domine, apud tuos pedes, & deslere mea peccata, ac tepiditates: potens enim es, ut mihi ignoscas, atque si vis, potes me mundare. Et quia illa infirma mulier fuit restituta sanitati, cum tangeret fimbriam tuæ vestis, etiam ego sperabo, te mihi idem præstiturum, cum ipsam pariter tangam, unaque tuos sacros pedes. Non peto à te, neque volo sanitatem corporis; quoad hoc enim fiat in me tua sancta voluntas: salutem meæ animæ à te peto, quia tu id vis, dedisti que pro illa tuum sanguinem. Hoc modo jacui aliquamdiu, ita ut non possem attollere oculos ad Dominum. Venerunt autem ad me quidam sancti Angeli, ipsoque jubente me elevaverunt. Tum intuita Divinam Majestatem, vidi, quod teneret

in suis sacratissimis manibus Divinum Sacramentum, cum quo ad me accedens, me communicavit. Deinde statim à me modicum recessit, & ego circumspiciens oculis animæ vidi advenientes, ita ut transirent inter Dominum & me quosdam Sanctos Angelos, valde admirabiles, & magnæ majestatis, cum comitatu aliorum plurimorum Angelorum, & Beatorum Spirituum, qui jam ipsos præcesserant ultra Dominum, portantes Eucharisticam Hiero-

thecam, in qua ferebatur Divinum Sacramentum discoopertum eo modo, quo gestari solet in supplicationibus. Sic præteriverunt, & præcesserunt Dominum, progressique sunt ad quoddam Monasterium, quod ego vidi, & reposuerunt Divinum Sacramentum in Tabernaculo summi Altaris, cum maxima reverentia, ac adorandi, statimque discesserunt ex eo loco, nec illos amplius conspexi.

(e)**(a)

CAPUT XIII.

Quomodo à Sancto Michaële ducta fuerit in spiritu, & in ejusdem Festis ad cœlestem Aulam, viderique hæc eadem mysteria, & quandam Pompam, in qua decantabantur laudes hujus Sancti Archangeli.

V*T*enerabilis Marina, & nos per illam intelligemus præstantiam harum visionum, & mysteriorum, quæ in ijs manifestantur, voluit quandoque DEUS uti operâ Principis suæ Ecclesiæ S. Michaëlis, quem solet adhibere in rebus insignioribus: atque idcirco simul ipsi patefecit singulares prerogativas hujus Archangeli. Ait igitur ih̄.

§. I.

Dum audirem Sacrum in festo S. Michaëlis, ostendit mihi illum Dominus, & cognovi in hoc sancto Archangelo, tantam fortitudinem ac potentiam, ut eâ videretur posse invertere mundum, & movere sulsque deque omnia, omnesque creaturæ, quæ sunt super terram, mihi apparerent coram ipso instar formicularum. Vehementer sum morata hanc apparitionem. Dominus autem mihi dixit: Expecta parumper, & videbis alia mysteria admirabiliora. Dum audirem, quòd me vellent elevare ad res valde supernaturales, vehementer expavi. Tunc venit Beatus Michaël, & conferendo vires ac vigorem meæ animæ, corroboravit ipsam, solatus-


que est, dicendo mihi: Noli timere, quia ego te juvabo, & comitabor. Cumque id præstaret, veni ad altissimum & felicem locum jucundæ beatitudinis, ubi mihi est ostensus à Domino & Rege eorum Divinorum montium & cœlestium mansionum quidam radius, ac fulgur lucis illius Divini ac infiniti Esse, & cognovi, quomodo compotes & participes hujus Divinæ Naturæ redderentur ij beati Spiritus. Hoc mysterium mihi fuit bis manifestatum, & adjuvante sancto Archangelo, potui, abiq; defectu virium, quamvis cum difficultate & labore, sustinere tantam lucem ac splendorem, alioquin enim fuisset impossibile.

Sed hoc non fuit summum, quia paulò post sum ducta ad alium locum sublimiorem, ubi mihi fuerunt ostensæ in eodẽ ipso Divino Esse tres Divinæ Personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, modo tam admirabili, ac stupendo, ut non reperiam ullas similitudines, quibus id valeam exprimere, & explicare, ideoque taceo, ac solum laudando & glorificando DEUM, dico: Vidi mysteria DEL.

(e)**(a)

§. II.

SEd admirabilis fuit, quod illi contigit alio anno, feriâ secundâ, quæ erat 26. Septembris, triduo ante festum Sancti Michaëlis. Hoc die, inquit, me abripuit Dominus intrâ se ipsum, duxitque me ad quâdam altitudinem, & subito iterum deduxit suaviter ad meum locum. Postquam fuissim abstracta à sensibus, bene tamen, advertissim, quid DEUS ageret, ac modicum quievissem, denuò me Dominus duxit intrâ semet ipsum, ad montem longè altiore, quàm fuerit prior, id quod me magnâ affecit admiratione. Et cum ad illum pervissem, deduxit me Dominus suaviter ad priorem montem, ad quæ me elevaverunt initio, dixitque mihi: Quiesce modicum, propter naturæ debilitatem. Deinde me in se ipso, sicut antea, rursus exaltavit ad alium montem, multò sublimiorem secundo, qui apparebat immensus, & ibi me exposuit ex se ipso, mihi que exhibuit ac ostendit omnes cœlos, & terram, ac totum mundum, dixitque: Aspice, Anima, omnia hæc, quæ propter te creavi, vide ista, & fruire illis. Contemplata sum istam creaturarum infinitatem miræ pulchritudinis. Continuo me ad se reduxit, ubi mihi ejus Majestas contulit tantum lumen, ad agnoscendum Divinum Esse, & omnia ipsius attributa, ut obstupuerim, fuerimque quasi mihi met erepta. Tum mihi Dominus dixit: Nunc, Anima, in me quiesce, & mane apud me. hic permanebis, donec prætereat festum mei sancti Angeli Michaëlis. Corpus tuum solummodo retinebit partem spiritûs requisitam pro conservatione vitæ, & actionibus illi necessarijs, id quod fiet adjuvante tuo Angelo Custode. Post festum mei Angeli, te reducam ad tuum locum. His à Domino dictis, me reperi in meo angulo, unâ que mansi cum meo Domino, perfruens illis æternis bonis, atque hic agendo cum Creaturis valde difficulter, & adjuvante me Angelo meo.



§. III.

SEquenti feriâ tertiâ, quæ erat dies Sanctorum Cosmæ & Damiani, summo manè me deduxit Dominus ex illo monte, ubi manebam in ipso DEO, ut operaretur mysterium, quod referam. Vidi in meo cubiculo sanctos Martyres, qui me salutaverunt, & dixerunt: Soror nostra, venimus nomine DEI, & ipso permittente ad te consolanda & confortanda in tuis afflictionibus ac molestijs, atque etiam ad curanda & corroboranda tuam debilem naturam, quia licet simus Beati, fuimus tamen Medici, dum viveremus in mundo, & petivimus id nobis à DEO indulgeri. Veni nobiscum ad cœlestem patriam. Duxerunt me ad cœlestem Jerusalem, & postquam eò pervissemus, dixerunt: Aspice Anima, aspice hanc cœlestem patriam, ubi vives in æternum; aspice hos felices Cives, contemplare istam gloriam, & magnificentiam, & latere, atque confortare: quia hæc te manent. Lustra hæc subfellia, & sedes, intueri locum, ubi futurum est tuum corpus; æquum enim est, ut etiam ipsum, quod patitur, videat sedem, quam occupabit post universalem mortuorum resurrectionem. Re-creavi me aliquamdiu conspectu illius gloriæ, & Sancti me deinde duxerunt ad meum angulum, ubi vidi quod sanctus Cosmas in manu teneret pretiosissimam crucem, & S. Damianus quoddam veluti myrothecium medicinarum. Sanctus Cosmas mihi dixit: Accipe Soror istam Crucem, quia consolabitur, corroborabit, & confortabit tuam animam in tuis doloribus & molestijs, quas pateris. Accepi illam ad manum, & statim fuit conversa in elegantem ac speciosam palmam, cum magno meo stupore. Sanctus verò Damianus mihi dedit suum myrothecium, quod accepi ad alteram manum, & fuit subito conversum in pretiosum lapidè, similem rubino, grandem instar pugni, dixitque mihi: Iste valebit pro corroboranda & confortanda tua debili natura. Ego aspicebam hos meos thesauros, vehementer obstupefacta; Sanctus autem Angelus meus Custos illos

illos protinus accepit ex meis manibus, & observavit in se ipso. Sancti Martyres discesserunt à me quàm gratiosissimè, dederuntque mihi suam benedictionem.

§. IV.

Sequenti feriâ quintâ, in festo S. Michaëlis, manè vidi sanctum Archangelum, splendidissimè & elegantissimè vestitum. Salutavit me quàm amantissimè, solatusque est, & confortavit vehementer in meis continuis doloribus. Atque dum conversarer cum ipso, vidi quatuor Angelos, qui paulatim conficiebant & elaborabant mirabiliter vexillum ex purissimo auro, quod absolutum obtulerunt sancto Archangelo Michaëli, & ipse id benedixit, jussitque illos cum eo abire, ad peragendum certum mysterium. Acceperunt illud Angeli, & sustulerunt in altum, atque vibraverunt. Prodebant autem ex eo tanti splendores lucis, & claritatis, ut viderentur totum mundum illuminare. Tulerunt idem vexillum inter Cælum ac terram ad regionem aëris, ibique denuò erectum agitabant, colligebant, & expandebant, quod ab illis fuit factum ter aut sæpius, & quotiescunque hoc faciebant, prosiliebat ex ipso novi splendores luminis & claritatis, deciderantque ex aère ad infernum multi deformissimi diaboli, tot, tamque agminatim, quàm quando vehementer grandinat. Finito hoc mysterio, venerunt cum vexillo ad locum, in quo erat mecum sanctus Archangelus, quod ille accepit ad suas manus, & cum eo, tum ipse, tum sancti quatuor Angeli, atque alij innumerabiles, omnes discesserunt ad cælum. Ego fui ducta post illos à meis sanctis quinque Angelis, & non vidi meum Custodem. Ingressâ autem ad cælestem patriam, mansi intus è regione portæ cum meis socijs, & Archangelus cum reliquis intravit ad conspectum Divinæ Majestatis. Cùmque essent prostrati, & agitarent vexillum, idemq; colligerent, & explicarent, prodibant ex ipso tanti splendores lucis & claritatis, ut illuminaret illam Divinam Aulam. Omnes ita provoluti adoraverunt Dominum, reve-

rentes ipsum, ut Creatorem ac Authorem omnis sui boni & gloriæ. Dominus illis bene precatus est, jussitque eos surgere, & aspiciens me, quàm amantissimè ac affabilissimè dixit: Esne tu hic, Soror? veni & fruire festo mei Archangeli. Præcepit omnibus Angelis, ut celebrarent magnam solennitatem in honorem Sancti Michaëlis. Instituta est solennis processio per circuitum cæli. Sanctus Archangelus tulit vexillum; tota Aula Angelorû ipsium sequebatur, decantantium ejus laudes, ac dicentium: Tu es, sancte Archangele, qui defendisti in cælo honorem nostri Magni DEI ac Domini: dicendo: Quis ut LI-E-US? Tu ejecisti ex cælo Angelos malos, eosque vicisti; Tu es Patronus & Custos Ecclesiæ militantis, Tu illum tueris contra illius hostes: & alia hujusmodi dicebant quàm lætissimè & jucundissimè. Ego affixa pedibus mei Domini, spectabam illam solennem pompam, eaque recreabar, donec reversi ad Dominum, omnes denuò se prostravissent coram Divina Majestate, iterumque ipsam adoravissent, sicut antea. Tum Dominus illis secundo benedixit: atque adducens me ad se, etiam mihi dedit suam benedictionem, & impoluit meo collo quendam pretiosum anulum ex purissimo auro, plenum elegantibus ornamentis encausticis, & figuris Divinorû mysteriorum, cum quo cimelio me demisit Dominus, & quando mihi sui reddita, inveni me in meo angulo cum sancto meo Angelo Custode, quo viso dixi: Domine Angele, non fuisti mecum? ipse verò mihi respondit: Ego te nunquam dimitto ex oculis, Anima: sed dic mihi, quid adfers ex cælo? Ego respondi: Nihil, mi Domine: aspexi & extendi manus, quasi illi ostendendo, me nihil ferre. Et ipse dixit: Imò verò fers aliquid, accedensque ad me quàm suavissimè, abstulit ex meo collo anulum, qui erat ex auro purissimo, & ostendendo mihi ipsum dixit: Scias, Dominum velle, ut sis tota ipseus, & Ancilla Divinæ Majestatis, ideò enim tibi injecit numellam ad collum, quam idem sanctus Angelus collo suo impostam mihi servavit.

Feriâ

Feriâ sextâ post festum S. Michaëlis, manè me Dominus sopiuit quodam somno mystico, ex quo expergefacta vidi in meo cubiculo aliquantum remotû à meo lecto quendam sanctum Angelum valde gravem, & illo conspecto jam mihi videbar à Domino reduceta, ac dimissa ex illa unione, & statu, quem in ipsomet DEO habueram, quod mihi Divina Majestas dixerat, se facturam post festum sancti Michaëlis. Finito Sacro, & peractâ à me factâ Communione, accessit Sanctus Angelus, de quo loquor, & prostravit se coram me, adorans sanctissimum Sacramentum, quod susceperam. Dominus ipsum iussit furgere, dixitque illi, posse eum redire ad suum locum. Audito hoc, interrogavi meum Dominum, an me Divina Majestas jam dimisisset, & absolvisset à se ipso, & ab illa unione. Dominus mihi respondit ita esse. Dixi præterea: Domine mi, humiliter obsecro tuam Majestatem, ut mihi dicat, quid iste sanctus Angelus hic fecerit? Et Dominus mihi suâ solitâ benignitate respondit: Custodiebat te, ac defendebat à Diabolo, qui tibi volebat nocere, & inferre damnum. Ergone, Domine mi, reposui ego, potest diabolus inferre damnû creaturis absque tua facultate? si tu illam ei non concedis, quid ipse potest facere? Itâ, est verum, agebat Dominus; sed ego, sicut in naturalibus permitto res eo ordine currere, quo jam illas decrevi ac disposui in mea æternitate, absque ulla immutatione, itâ in supernaturalibus permitto dæmonem uti facultatibus, quas ipsi concedo, sed operâ meorum Angelorum illi sæpe impedio earum exequutionem, prout expedit meis electis.

§. V.

Denique in festo Omnium Sancto-
rum, ante diluculum matutinum,

Dominus mihi ostendit eorum gloria n: qui magis resplendebant, quàm stellæ cæli, atque sicut soles emittebant ex se tantum lumen, & splendorem, ut illuminarent totam illam cœlestem Jerosolyman. Dum essem attonita, videns istam gloriam inter meos dolores & cruciatus, quos patiebar, audivi vocem cujusdam valde eminentis Angeli, quem deinde intellexi fuisse Sanctum Archangelum Michaëlem, mihi dicentis: Veni, Anima, veni, fruere hoc felici festo, & recreaberis. Ego, ut eram extra me, respondi: Quis me vocat? Sanctus Archangelus repetebat: Veni, Anima. Ego respondi idem. Ipse verò me, tertio vocavit. Et cum tacerem, descendit in momento, ac magnâ vi ac potentiâ me abripuit in spiritu, duxitque ad cœlestem patriam, & ibi collocavit. Ingressa sum per magnam multitudinem, quæ videbatur esse infinita, Animarum & Spirituum Beatorum, qui omnes radiabant tanquam soles, & transivi per omnes, donec pervenirem ad alteram partem, ubi erat Majestas DEI nostri Domini, cujus Divinum Esse vidi eo modo, quo in hac vita videri potest, in quadam specie subtilissimæ, claræ, & lucidæ nubis; ubi vidi, quomodo omnis gloria, & splendores illorum Sanctorum provenirent, & emanarent ex illo Divino Esse, quod illos reddit Beatos. Mansi ibidem satis diu, ac deinde dixit sanctus Archangelus: Veni, Anima, & reducam te ad tuum locum. Et reduxit me per illos Sanctos, videbanturque, dum illos pertransirem, se insinuare in meam animam ij Divini splendores, qui ex illis promicabant, ut mea anima suo modo æquè resplenderet, ac ipsi; constituitque me in meo angulo.

)(*)



Q 93

CAPVT

CAPVT XIV.

De prodigioso modo, quo pars superior animæ ipsi diu mansit in Cœlo, perfruens DEO, sinè imminutione doloris, quem patiebatur in terra, de quæ rebus admirandis, quæ ei acciderunt, dum videret dicta myſteria.

IN præcedenti Revelatione, & in quibusdam alijs facta fuit mentio cujusdam specialis gratiæ, quam Dominus præstitit suæ famulæ, ut spiritus ipsius, & pars superior anima aliquot diebus moraretur continuè in cœlo, fruendo per contemplationem ac unionem Majestatis DEI Trini ac Unius, ipsiusque Magnalibus, & bonis cælestis gloriæ, remanente interim inferiori parte anima cum suo corpore, quod patiebatur terribiles cruciatus, quin unum impediretur ab altero; atque ita, ut superior conversatio cum DEO, non tolleret conversationem cum hominibus, vel libertatem peragendi hic suæ bonæ operæ, ad eum modum, quo in hac vita mortali anima Christi Domini simul videbat DEUM, & patiebatur magna tormenta in Passione. Insuper, præter illam continuam commorationem in cœlo, habebat alias visiones & raptus, in quibus tota penitus elevabatur, ad perfruendum illis supernis bonis. Ex his gratiis modo recensebimus quasdam magis prodigiosas.

§. I.

IN Decembri anni 1622. animadverti inquit, ex quibusdam indicijs, quod mihi Dominus esset præstiturus aliquam specialem gratiam, ac tum post unam horam audivi auribus animæ quandam cælestem musicam Angelorum, & multarum animarum, egredientium ex cœlo, quas omnes comitabantur Angeli dispersi in Choros. Erat suavissima, dulcissima, ac admirabilissima illorum musica, videbanturque cœli penitus conflagrare antore DEI, & laudibus, quas ad ejus gloriam decantabant. Vidi deinde Majestatem

DEI Nostri Domini Trini & Unius, & sanctissimam Humanitatem JESU Christi nostri Servatoris, qui veniebat in specie Regis ac DEI, & refulgens insignibus Regijs ac Divinis cum magna Majestate, comitante ipsum infinito numero Angelorum, subsistentium interdum ac decantantium eximias ejus laudes, in amplis & pretiosis tentorijs. Descendebat lentè per quosdam veluti gradus planissimos, cum magna gravitate. Dixi meis Dominis Angelis: Domini, dicant mihi, quid hoc erit illi mihi responderunt: Magnus Rex, ac DEUS noster Majestatis, venit ad invensendam suam Sponsam. Audito nomine Sponsæ fui turbata, & afflicta, dixi: Mei Domini, propter reverentiam DEI, non dicant hoc, neque me ita compellent; ego sum mancipium Domini, & serva, ac nunquam fui ausa me taliter nominare. At illi dixerunt: Bene est. Descendebat Dominus, ferebatque aliquid in suis brachijs, quasi animam; vidi enim illam eminens: & cum pervenisset ad medium viæ, subsistit Divina Majestas, jussitque intermitti musicam, & fieri silentium, atque attendi; ac deinde dixit Angelis Custodibus animarum unà venientibus: Angeli mei attendite quàm diligentissimè, quomodo custodiatis homines; impendite isti custodiæ omnem sollicitudinem & operam, siquidem illos tantoperè æstimo, ut eos, qui me ex animo amant, mihiq; servant, feram in meis brachijs & manibus, quemadmodum ferri videtis hanc animam; ideoque magni ipsos facite, ista enim est mea voluntas. Hoc dicto, Divina Majestas est prosequuta suum descensum cum ingenti gloria, atque dum magis accederet, agnovi illam animam, quam ferebat in manibus & brachijs, esse meam, quæ ibi reman-

remanerat in cœlo aliquot diebus, sicut aliàs confueverat. Erat tanta gloria, cum qua veniebat Dominus, ut si, dum ad me veniebat, illam non obtexisset aliquantum, non fuisset possibile ipsam videre absque periculo vitæ. Postquam pervenisset ad meum cubiculum, intravit cum comitatu plurimorum Angelorum, & dixit mihi: Creatura mea, quid agis? quomodo vales? Ego respondi: Domine mi, hic jaceo in isto lecto, ubi à tua Majestate detineor, patièdo tui amore cum magno gustu, & quàm libentissimè. Dominus mihi respondit: Surge Creatura mea, & confortare; aspice, quia in meis brachijs & manibus fero tuam animam, filiam tuam, & filiam meam. Tuam, quia illam creavi in te, in hac natura: meam, quia te creavi, & sum tuus Conditor: atque sicut Mater gestat in suis brachijs infantem, qui prodijt ex ipsius visceribus, ac in suo sinu mulcet, & fovet, ac protegit, neque illius potest oblivisci, ita ego te gero in meis brachijs, & nihil in mundo te poterit à me separare, nec tu me derelinques, neque ego derelinquam te. Ad hoc respondi, dicens: Domine mi, credo verum esse, quod dicis: quantum est ex tua parte: sed quantum est in me, video me tam miserabilem esse peccatricem, ut ordinariè committam mille defectus, qui me molestant & affligunt, quamvis non ut oportet. Dominus autem reposuit: Nè te reddant sollicitam hi defectus, de quibus loqueris, quia in meis oculis non sunt tales. Id ego permitto ad tuum majus bonum, & gloriam meam, atque ut elicias hos actus doloris, & contritionis, eruasque hinc multa bona. Nè te affligas, quia tua anima est in meis manibus, & nihil te separabit à me. Nihilominus, mi Domine, ajebam ego, me hïc in me ipsa video, obnoxiam meis passionibus, & subjectam miserijs ac lapsibus. Tum Dominus: Tua anima, quoad partem superiorem, quæ est memoria, intellectus, & voluntas, manet apud me, & ego illam possideo: mecum manes, solumque tibi reliqui naturam cum suis potentijs inferioribus, & requisitis ad vitam humanam, quemadmodum vides, ac intelligis. Fui

summè animata his Domini verbis, & Divina Majestas mihi dedit suam benedictionem, dixitque: Vale; & abiit ad Cœlos cum magna Majestate, ac pompâ, & solenni musicâ, ferens secum meam animam in suis brachijs. Ascendit paulatim, donec illum non viderem amplius.

§. II.

SUMMUS hujusmodi favor fuit anno sequenti (in Aprili 1623.) pridie Dominicæ Palmarum, quando mihi dixit Dominus ista verba Evangelij: Soror, ecce ascendimus Jerosolyman, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Affecerunt me hæc verba magna tneritudine ex una parte, ex altera verò mihi incusserunt aliquem metum, quia intelligebam mihi præparari hæc septimanâ sanctâ novos dolores, & molestias. Transfudi meam voluntatem in Divinam, rogando illum, ut fieret in me ipsius sanctissima voluntas. Deinde, Dominicâ palmarum, dum agerem cum Divina Majestate, quâsi unita cum ipsius sanctissimis vulneribus, videbatur mihi sine dubio prodire ex illis quædam Divina virtus, instar vaporis, penetrantis meam animam, per quem ipsi communicabatur virtus Sanguinis & Passionis JESU Christi Domini Nostri. Interea illi dixi: Mi Domine, quid est mihi faciendum hæc septimanâ? Dominus mihi respondit: Dicam tibi, veni mecum ad cœlestem Jerosolyman, & manebis ibi mecum totâ septimanâ. Fui statim ducta ad illam cœlestem Patriam, quam ego jam bene novi, & postquam eò pervenissem, vidi beatitudinem, quâ fruuntur illius incolæ, ac magnum numerum sanctorum Angelorum: Confedi cum illis, quâsi ad pedes, & subito mihi apparuit quidam Divinus Sol, qui erat secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis, ac perstrinxit me suis Divinis radijs adeo, ut incenderer. Surrexi ex eo loco, & confedi ulterius; Sol autem ille me est insecurus, atque me subsistente subsistebat & ille, iterum me feriens suis Divinis radijs. Surrexi ac processi aliquantò ulterius, & conse-

confedi tertio, in alio loco; eodémque modo Divinus Sol me est insequutus, & suis Divinis radijs potenter arripuit meam animam, ac reposuit in se ipso, mansiq; intra illum, & inde atq; illac transivi ad contéplanda magnalia DEI, quæ non possunt exprimi verbis, aut explicari. Quamvis auté ibi manserit mea anima, ego me híc sentio esse in meo angulo, itá ut modo converfer & loquar cum creaturis, paritéq; pars superior meæ animæ maneat in suo DEO, in cœlo: & clarissimè adverto ac intelligo istam veritatem, me, dum ibi deliciar, híc pati; nec vehementia meorum magnorú dolorum mihi obstat, quò minús delecter; neque gloria impedit, quò minús patiar. Divina Majestas mihi explicuit tres illas stationes & progressiones significavisse, quòd, quando mea anima videtur absens esse à Domino, tum Dominus me insequatur, quosumque me conferam, neque à me recedat. Fuerunt porrò tres vices ad significandum, quòd omnes tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis me protegant, mihi que gratificentur.

§. III.

Postquam sic fuissém constituta integrá septimaná sanctá, sequenti Festo Paschatis manè (in Aprili anni 1623.) post toleratos, multis horis, maximos dolores, ut natura videretur deficere, & confici: vidi Dominum resuscitatum, & gloriosissimum, qui ferebat applicatum suo sacro pectori meum spiritum in specie parvæ animæ, quemadmodum híc pingi consuevit. Fui afflicta, intelligens, quòd me Dominus vellet híc relinquere, & dixi: Mi Domine, ergone me vis híc relinquere? Dominus autem mihi quàm amantissimè respondit: Soror, noli affligi, quia te non delectam, volo tibi solummodo restituere tuam animam, quam mihi concedidisti, & manere tecum, sicut quando parentes filiam, cui bene volunt, dant suis consanguineis, ut ipsis gratificentur ad aliquot dies, verùm itá, ut non deponant ipsius curam; itá ego tecum agam; non verò te derelinquam, neque tui curam de-

ponam. Ego nihilominus id sentiebam, sed conformabam me Divinæ voluntati. Dum Divina Majestas videret meam afflictionem, dixit: Fiat ergo quod vis, nolo te affligere, retinebo te, quoad fuerit mea voluntas, & sic remansi in pectore Domini.

Sequenti Vigiliá Ascensionis (in Mayo anni 1623.) mihi dixerunt mei Domini: Veni, Anima, nobiscum, quia te debemus ducere ex mandato Domini ad locum, in quo est peractum hoc mysterium Ascensionis Divinæ ejus Majestatis. Ego respondi: Non possum, Domini mei, quia patior graves dolores, & cruciatus. At illi reposuerunt: Noli hac de re loqui, & veni nobiscum; sic enim jubet Dominus. Duxerunt me ad quendam campum planum, ubi erat lapis instar gradús, & subito se effuderunt ex cœlo plurimi Angeli, iique, perelegantés, & jucundi, quos sequebatur JESUS Christus Dominus noster, cum magna Majestate, qui ubi constitisset supra illum lapidem, dixit mihi: Bene veneris, Anima, es afflicta, veni mecum, & recreaberis. Apprehenderunt me sancti Angeli, collocaveruntque ad latus Domini, & ejus Majestas me suscepit, atque porrexit mihi quasi manu, sustulit secum ad cœlestem patriam, usque ad locum, in quo superior pars meæ animæ pluribus diebus fruebatur illis Divinis ac cœlestibus delicijs, & acsi esset aliquid à me distinctum, incepit loqui pars superior meæ animæ cum sua parte inferiore, dicendo: Bene veneris, locia mea, veni, fruëris bonis æternis, quibus ego fruor, siquidem mejuvisti, ut promererer, quod possideo. Mansi illic modico tempore, & Dominus me texit quodam quasi velo nubis, atque itá rectam duxit ad conspectum Majestatis DEI Trini & Unius, quosum diu fruata, usque dum me Dominus tradidit meis Dominis, qui me deduxerunt ad meam angulum.

Istis diebus, adverto quàm clarissimè & certissimè animam meam habere ingens gaudium, solatium & lætitiã, dum ibi in cœlesti patria fruitur illis fortunatis bonis, & simul híc pati maximos dolores & afflictiones, propter quas quodammodo mihi

mihī ipſi eripior, & queror; quæ omnia fiunt uno, eodēque tempore.

§. IV.

Post hoc in Vigilia ſequentis Pentecostes (in Junio anni 1623.) mihi dixit Dominus: Soror, es afflicta, attolle oculos, & aspice hos cœlos materiales, ipſorūque ſtellas. Licet verò eſſem in meo cubiculo clauſa, atque iacerem in lecto, vidi cœlum ſtellatum, ſicut quando in hyme valde coruſcant ſtellæ, quod me affecit ſolatio, & recreavit, quia illud à multis annis non videram. Deinde dixit Dominus: Aspice adhuc. Et vidi Spiritus beatos, qui habitant & morantur in cœlis, multo pulchriores ac ſplendidiores ipſis cœlis. Tum Dominus ſubiecit: Quilibet horum Sanctorum magis lucet, fulget ac ſplendet, quàm multi Soles. Oblectavit me vehementer hoc ſpectatum, ſed longè magis viſio ipſius Domini, ex quo procedebant, veluti ex fonte, omnes illi ſplendores, & cujus clarâ viſione ij Sancti erant felices ac beati. His omnibus ſatis diu ſum fruita.

Deinde ad me venerunt mei Domini Angeli, ac dixerunt: Anima, veni nobiſcum, es enim afflicta, & nos tibi volumus præbere ſolatum, quod reperitur in hoc mundo: ducemus te ad quoddam mare, ubi exhilaraberis. Ego reſpondi: Non, Domini, quia ſubmergar. Nequaquam ſubmergeris, reſponderunt, præterquàm in mari Divini Domini. Non, mei Domini, repoſui, non deſidero ullum ſolatum, quod reperitur in hoc mundo. Denique illi me apprehenderunt, ac duxerunt, imponentes me cuidam curru, què trahebant candidiſſima animalia ad vaſiſſimum flumen, in quo natantes, inceperunt decantare Divinas laudes. Dicebam rurſum: Non, mei Domini, relinquunt iſta, nolo enim ullum ſolatum, reducant me ad meum angulum. Durante iſtâ diſceptatione, audivi in cœlo ingentem ſtrepitum, ſicut ſoleo, & vidi deſcendentes plurimos Angelos, totamque Beatiffimam Trinitatem, peculiariter verò agnovi ſa-

cratiſſimam Perſonam Spiritus ſancti, qui ad me veniens univit me ſecum, duxitque ità unitam ad cœleſtem patriam, & curruſ diſparuit. Poſtquam illuc perveniſſem, fui conſtituta in quodam loco eminenti, & cœpta eſt magna quædam ſolennitas, quæ celebrabatur in cœlo in honorem totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ac præſertim Spiritus ſancti, eò quòd eſſet ipſi dicatus dies. Reſonuit ingens ſtrepitus campanarum, & multi Angeli diſpergebant per pavementū illius cœli igneas linguas ſplendidiffimas; alij parvas fulgidiffimas cruces, alij jactabant ſtellas & ſoles ad eum modum, quo hîc ejiciuntur ignes artefacti in ſolennitatibus Sanctorum. Poſt hoc inſtituta fuit ſuaſiſſima & diviniſſima muſica Angelorum, concinentium hymnos in laudem totius Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſpeciatiſim Spiritus ſancti. Tota illa cœleſtis aula videbatur ardere igne ac Divinis ſplendoribus charitatis & amoris. Omnia denique collucebant, & ex illo Divino Domino DEO, Trino & Uno, prodijt quidâ Sol, qui erat figura Spiritus ſancti, emittebâtque ex ſe multos radios, quos ad me dirigebat, feriendo me ipſis, & per illos, quaſi intimè ſum ingreſſa in illum Divinum Solem, ibique fui veluti oppreſſa à Majeſtate DEI, & ſubmerſa in ea magnificentia, ut non ſciverim de me, fruereſ tamen illo ſummo Bono, pro meo captu. Hæc reſ ſatis diu duravit. Deinde dixit Dominus Angelis: Accipite Angeli mei, iſtam creaturam, & reducite illam ad ipſius angulū. Verùm pars ſuperior meæ animæ manſit ibi, & huc dedueta fuit pars animæ neceſſaria ad vivendum & operandum, ac patiendum.

§. V.

Poſtea in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis (in Junio anni 1623.) mei ſancti Angeli, juſſu Domini, me duxerunt ad cœleſtem Jeruſolymam, ad conſpectum Majeſtatis DEI Trini & Unius, ibique me Dominus ſecum univit, ſicut aliàs ſolet. Inde, poſtquam me dimiſiſſet Dominus, fui ducta magis intrò ad cœleſtem Aulam, fu-

R r

itque

itque mihi ostensum quoddam amphitheatrum, habens altissimos gradus, desinentes in quandam coronam, & hos gradus circumdabat universa multitudo Angelorum ac beatorum Spirituum, qui aspectu & contemplatione eorundem graduum & amphitheatri, quod erat ipsemet DEUS, reddebantur felices ac beati. Omnes fruebantur illo summo Bono secundum suam merita. Aliqui intuebantur primum gradum; alij duos gradus; alij quatuor, juxta suam capacitatem: atque ibi etiam erat pars superior meæ animæ, quæ suo quoque modo fruebatur eâ beatitudine. Dixitque Dominus: Anima, attolle oculos, & aspice. Hoc tempore, existimo nos fuisse simul meam animam, & meam naturam, seu partem superiorem & inferiorem meæ animæ, vidique talia DEI magnalia, ut fuerim mirata, & consternata. Iterum Dominus dixit: Expecta Anima, contemplantur plura. Et vidi imminentem illi coronæ Solem splendidissimum, qui communicabat suum lumen & splendorem, ac virtutem omnibus illis gradibus & coronæ, quæ nihil erat aliud quàm DEUS, sed per hunc Solem magis manifestabatur magnitudo ipsius DEI. Obstupui vehementius, quia vidi majores perfectiones, & res sublimiores DEI: verum semper mihi dicebatur: Amplius est, quàm hoc, DEUS; amplius est. Rursum mihi Dominus dixit: Plura vide Anima; & contempexi supra Divinum Solem, quendam ignem fortem, comburentem, infinitum, qui accendebat rotam illam aulam, atque hinc agnovi majora DEI magnalia. Adhuc aspice, Anima, agebat Dominus, & vidi quandam abyssum perfectionum, ipsumque Divinum Esse manifestius; ac tunc fui penitus absorpta, & mihi met erepta, non valens sufferre tantam DEI immensitatem, solum scivi dicere: Amplius est, quàm hoc; amplius est, quàm hoc. Ibi me detinui longo tempore, & fui reducta ad priorem locum, ubi erant gradus, per quos descendi, eo ordine, quo ascenderam. Pars superior meæ animæ quasi gratias egit parti inferiori, eò quòd sibi præbuisset auxilium ad promerenda ea bona, & ipsa ibi reman-

nente, fui ducta à meis Dominis ad meum angulum.

§. VI.

IN sequenti Augusto (anno 1623.) dum quodam die agerem cum DEO, obtrulit se meæ imaginationi quidam calix: cum autem ego patiar tantos dolores & cruciatus in hoc lecto, atque calix significet aliquid passionis, representaverit quidpiam tale, quod ego non curabam. Paucis abhinc horis, dum similiter agerem cum DEO, contempexi in meo cubiculo eundem calicem, cujus pedem tenebant duo Angeli cum magna reverentia, & alij multi Angeli ipsum circumdabant. Dixi intrâ me: Bona est mea imaginatio, quia appeto calices. Et abstraxi me, quantum potui, ab hac visione, usquedum Dominus me adegit ad attendendum. Atque reverè natura timuit, quia mihi videbatur imminere aliqua afflictio, & crux: verum Sanctus Angelus meus Custos me animavit, dixitque: Noli timere, Soror, quia iste calix non erit, quod cogitas; sed adferet tibi solatium. Subitò mei Domini me elevaverunt in spiritu, & induerunt illis pretiosis vestibus, ut solent, duxeruntque me ad conspectum Majestatis DEI Trini & Unius, ubi flexis genibus adoravi Divinam Majestatem; Angeli autem me jusserunt statim osculari pedem calicis, & labia cuppæ, DEUS autem benedixit calicem magna cum gravitate & autoritate, dicendo certa verba, quæ ego non intellexi: & postquam accepisset Divina Majestas Spongiam, imposuissetque in calicem, & imbuisset liquore, qui erat in illo instar sanguinis, expressit ipsum supra meum caput, ita ut tota fuerim perfusa illo sanctissimo liquore, qui erat sanguis JESU Christi Domini Nostri. Neque hinc sistens Dominus, accipit calicem, ac dixit: Perfundenda es quam abundantissimè, & evacuavit illum totum, perfuditque non tantum caput, sed & corpus. Completo hoc mysterio Divina Majestas ascendit ad cælum, remanente sibi JESU Christo Domino nostro, qui me induxit in cœlestem Jerosolymam, ad conspectum Beatissimæ Trinitatis. Mirabatur

tur vehementer illi beati spiritus, ut, quando me viderunt, dicerent: *Quæ est ista, cui Dominus exhibet tantam gratiam?* Dum venissem ad conspectum Divinæ Majestatis, procidi ad sanctissimos ipsius pedes, & indormivi somno spirituali ac Divino, ubi cognovi majora ac majora DEI magnalia, & secreta Divina, quæ nequit ulla lingua explicare. Interea venerunt mei Domini Angeli, & petierunt à DEO facultatem reducendi me ad meum angu-

lum, quia illis videbatur mea debilitas non sufficere pro tam diuturna & altissima contemplatione. Dominus autem ipsis respondit: Relinquire illam, necdum enim est tempus. Reliquerunt me aliquamdiu, & petierunt secundò licentiam, fuitque, ijs idem dictum. Petierunt illam & tertio, Dominus verò ipsis dixit, ut abirent ad meum angulum, suam enim voluntatem Divinam esse, ut ibi remanerem, ubi eram.

CAPVT XV.

Quomodo illi DEUS ostenderit scalam valde arduam, quâ ascendebatur ad cœlestem Gloriam, mandaveritque, ut eam conscenderet, manifestando illi bona cœlestia, & miseras Mundi.

Non sufficit nosse immensa Gloria cœlestis bona, nisi sciatur etiam via, quibus ad illam pervenitur, quæ ordinariè sunt persecutiones, tentationes, omnisque generis afflictiones, toleratæ propter virtutem, & honorem DEI. Has vias DEUS generatim declamavit Venerabili Marina duabus similitudinibus, comparando illas modo pertingenti à terra ad cœlum, valde ardua ascensuque difficili scala, etiam absque onere: aliàs verò ascensui, cum pondere, gravibusque toleratu crucibus, quamvis per scalam commodam, & locum amœnum; modo utrique simul, ut apparebit in sequentibus revelationibus. In hac ipsa etiam manifestavit miseras mundi, ut magis elucescerent bona cœlestia.

§. I.

Quâdam Vigilâ Epiphaniæ (in Januario anni 1619.) mihi dixit Dominus: Marina, veni mecum, quò te ego ducam; ac tum in momento, antequam ulla verbum respondiissem, me reperi juxta primum gradum cujusdam admirabilis scalæ, pertingentis à terra ad cœlum: cu-

jus initium erat latius, finis verò angustissimus. Habebat gradus materiæ & coloris cœlestis, eratque illius ascensus vehementer arduus ac difficilis. Subitò mihi Dominus, qui à me quàm longissimè distabat, dixit cum imperio: Marina, conscende hanc scalam, & esto bono animo. Fui modicum turbata, eò quòd mihi existimarem deesse vires naturæ pro eo ascensu, quem valde metuebam, ideòque respondi: Mi Domine, non possum ascendere absque tuo singulari auxilio, sum enim debilis ac miserabilis, & magnopere timeo. Conscende, Anima (dixit Dominus) esto bono animo, & noli timere. Hoc audito, incepi conscendere gradus illius scalæ, sed tam lentè, & cum tanta difficultate ac molestia, ut mihi videretur impossibile, sursum pervenire. Dominus autem aliquantum indè remotus, sæpius dicebat cum imperio & majestate: Age tandem Anima, quod agis, conscende, & confortare, nè timeas. Quocirca conscendebam cum magno labore, ac timoribus, quantòque magis progrediebar, tantò magis timebã. Perveni denique ad finem scalarum, ubi statim Dominus dixit, sicut antea: Anima, pulsa hanc portam. Licet autem ego illam non viderem, sed solum cœlum, putarem.

Rr 2

tarem.

taremque me esse proximam stellis, quamvis & has non viderem; incepti portam pulsare cum summo timore, advertens me esse in illa altitudine, & iterabam ictus, dicendo cum magno dolore: Heus, Domini, qui incolunt hanc DEI Civitatem, aperiant mihi amore DEI, aperiant isti pauperi creaturæ, quæ hîc adest, & huc venit jussu Domini. Et pulsabam, repetebamque ista sæpe; verum nemo mihi respondebat. Cum ita timerem, & essem afflicta, venit quidam Angelus DEI ex incolis illius Divinæ Civitatis, & apertâ quadam grandi portâ, quæ erat ex auro & pretiosis lapidibus, prospexit, valdeque imperiosè & graviter, ostendens se quodammodo ægre ferre meum pulsam ac indignari, tenensque in sua manu gladium quasi aureum ac igneum, dixit: Quæ est ista, quæ hîc compareret? & quænam est hæc, quæ præsumpsit venire ad hanc portam cœlestis Civitatis, atque illam pulsare? Cui ego humiliter, & cum magno timore respondi: Angele DEI, ego sum pauper ac miserabilis creatura DEI, & vocor Marina, ancilla JESU Christi, mei Domini, aperi mihi, per Dominum, qui te creavit. Tum Angelus ocludendo portam cum impetu dixit: Vade, & abi hinc statim. An ignoras, quòd hæc cœlestia habitacula non possit ingredi ulla creatura, existens in carne, mortali. Et hoc dicto discessit, relinquens me in afflictione ac dolore, quem DEUS novit. Adivit autem subito Majestatem nostri Magni DEI ac Domini, quod ego in eo loco videbam, in quo eram, & coram illo prostratus dixit: Domine DEUS noster Majestatis, ad hujus cœlestis Aulæ portam venit quædam creatura, quæ valde querulosè & instanter pulsât, ac petit ingressum ad hanc Civitatem: prohibui id illi rigidè & severè; perseverantia tamen, ipsius est magna & humilis: videat Tua Majestas, quid fieri jubeat cum ista creatura. Audivit Dominus Angelum quàm gravissimè, sed unâ benignissimè, dixitque: Revertere eò Angele, atque si diu perseveraverit, aperi. Venit Angelus, cumque iterum interrogaret, quid vellem, & quæ essem, quemve quærerem; ego cum ma-

gna submissione, & petens misericordiam, respondi ipsius interrogationibus, sicut prius, dicendo illi præterea alias, pluresque allegando causas. Post hæc aperuit, & permisit me introire liberè; verum ego, dum oculis perlustrarem illam cœlestem civitatem, vellèmque progredi, sensi maximam difficultatem, similem illi, quam habui in ascensu scalæ: quia ad quemvis passum mergebar, videbâque mihi submergenda, quasi inambularem profundissimæ aquæ, materiæ, & coloris cœlestis. Cum hac molestia sum progressa ad non paucos passus, ignara quò pergerem. Itâ procedendo elevavi oculos, & conspexi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, qui erat indutus veste regiâ, ac pretiosam habebat coronam in capite. Vehementer sum animata hoc aspectu, atque ambulabam quàm celerrimè, etiam si putarem me submergi, & aqua mihi videretur usque ad os pertingere. Hoc modo perveni ad Dominum, & Divina Majestas protendit quàm affabilissimè ac benignissimè ad me brachia, extraxitque me ex co pelago, dicendo: Veni huc, mea anima, quiesce in me, quia venis fatigata, & vehementer lassâ, ibisque mecum, quò egote duxero.

§. II.

TUM Divina Majestas, postquam mihi ostendisset multos choros Angelorum & Sanctorum, ac animarum beatorum, me eduxit ad quoddam Castellum, dicens mihi: Specta hinc, quid fiat in hoc mundo; ostenditque mihi quosdam vastissimos campos, instar agrorum, qui fuerant consiti tritico; peracta verò jam erat messis, tantumque in ijs reperiebantur pauculæ spicæ. Dum ego illos viderem tantopere devastatos, & carentes fructu, atque intelligerem, quòd significarent multas animas, quæ damnarentur, & paucas, quæ salvarentur, converti me ad Dominum, & dixi illi cum magna commiseratione ac dolore: Mi Rex, & mi DEUS, quomodo, cum sis tantus agricola, adeoque potens, habes tam exiguam messem in-

tuo agro, qui nullius est frugis, totusque desolatus? Tum mihi Dominus respondit, ac dixit: Noveris defectum huius messis, quem vides, quodque tam parum fructus protulerit meum semen, non esse imputandum agricolæ; est enim ditissimus ac potentissimus, & coluit optimè, atque cum magna sollicitudine suum agrum. Defectus provenit à terra, & ab ipsius malâ dispositione. Duo pete à DEO: Unum, ut mittat operarios in suum agrum; alterum autem, ut mittat pluviam ex cælo, quâ bene disponatur. Dum hoc audirem dici à Domino, valde sum mirata, & dixi: Quomodo Operarios, Domine? Nunquid enim fortè defunt in tua Ecclesia? Non, certè, Domine, quia habes infinitos. Non habeo, Anima (reposuit Dominus) habeo paucos, quia isti multi, de quibus loqueris, non sunt omnes mei operarij, non enim procurant, neque prætendunt fructum mei agri, sed sua commoda, & vana emolumenta, id quod nihil prodest, & omnibus nocet. Pete à DEO Omnipotente illa duo, quæ tibi dixi, quia utriusque est ingens penuria.

Deinde me Dominus traduxit ad alteram Castellii partem, dixitque ejus Majestas: Anima, circumspice, & lustra hunc mundum, perlustra hæc flumina ac littora, campos & silvas, quas ego creavi, ut fruendo illis meæ creaturæ, & mei amici, me laudarent ac benedicerent, tanquã suum Creatorem, & confortarentur ac recrearentur in me, & ad gloriam meam. Aspice, quomodo hæc sint profanata vanitatibus, & novis ac supervacaneis inventionibus, ad recreandũ gustum mundanorũ, qui venantur delicias. Aspice, quomodo se universa habeant. Dum mea anima videret omnia, quæ Dominus dicebat, & omnia cognosceret, stupebat, eratque vehementer afflicta, ac dicebat: Quid igitur est hoc, mi DEUS, & Domine mi? Quomodo hæc habes ita exorbitantia, & malè constituta? quare ista condidisti? Quid tibi videtur, Anima? aiebat Dominus, quid tibi videtur? præferens dolorem, addiditque Divina Majestas: Pete à DEO Omnipotente, ut mittat ignem de Cælo,

quo comburat & consumat omnem istam vanitatem, restituatque universa in illum statum, propter quem fuerunt condita, id quod est magni momenti, & perquam necessarium.

Deinde me perduxit ad aliam partem illius Castellii, & dixit: Perlustra, Anima, ista maria, & videbis quid fiat; contemplare vanitatem & aviditatem insatiabile istorum navigantium, & populi excordis, qui transigunt vitam, quam habent tanto expositam periculo, in lusuibus, maledictionibus, juramentis, ac abominationibus, & videbis, quomodo major illorum omniũ pars huic viæ insistat, sintque pauci, qui puro & sincero corde mihi serviant, & amplectantur istas molestias ac tempestates maris propter me, & ad majorem gloriam meam. Considera id bene, & compatere ex corde istis perdicionibus, & cæcitatibus animarum, ac pete à Domino, ut emittat ex suis cælis ventum fortem, suavem & potentem, ad destruenda & confundenda omnia mala ac perversa, & purificanda, atque conservanda, ac augenda bona, & proficua: pete id, Anima, seriò & ardentè à DEO Omnipotente. Dum mea anima consideraret ista, quæ ipsi DEUS ostendebat, & illius querelas ac Divinos sermones, vehementer fuit attonita ac afflicta, & quasi defatigata, sentiensque magnum defectum virium, ruit ad brachia sui DEI.

Indè verò illam duxit Divina Majestas ad aliam partem illius Castellii, ubi pro ea confortanda in deliquio, illi ostendit quosdam montes altissimos, pulcherrimos, & amœnissimos, qui producebant præstantissimas gemmas. Erant quasi confiti parvis arbutis aureis & lapidibus, aliisque metallis pretiosissimis. Hi montes vehementer resplendebant, & in illis habitabant quidam illustrissimi incolæ, qui apparebant sapientissimi ac nobilissimi, & valde sancti. Dum mea anima videret istos splendores, & hos homines tam sanctos, quos comitabantur, quibusque ministrabant sancti Angeli, fuit recreata, & vehementer confortata, dixitque ad Dominũ: Mi DEUS, quinam sunt isti boni homi-

nes tam illustres, & graves, tametsi pauci? Anima (respondit Dominus) hi sunt illi sancti Anachoretæ, qui deserto mundo, & ipsius honoribus ac vanitatibus, se contulerunt ad deserta, ad agendam vitam solitariam, ut liberè fruereutur meâ communicatione, ac Divino Amore, corpora sua mortificando, rigidâ vitæ asperitate. Nonne tibi attulit solatium, teque confortavit tam jucunda visio? Ibi sui modicum exhilarata, & animata.

§. III.

Indè me duxit Dominus secum ad primum illum locum, ubi Divina Majestas me susceperat in sua brachia, quando eram ingressa illam cœlestem Aulam, & postquam eò venissem, incepit resonare admirabiliter musica Angelica, vocum ac instrumentorum, cum tanta suavitate, harmonia & pompa, ut anima sibi videretur esse in paradyso deliciarum cœlestium, ac tota illa cœlestis aula ardebat Divino amore, inter hymnos & laudes Divinæ Majestatis. Hac ratione & summo ordine procedere incepit ritu supplicantium, omnis illa hierarchia Angelica, per circuitum illius Civitatis DEI, ac deinde prodijt Dominus Majestatis ex eo loco glorioso, in quo fuerat, qui meam animam (in specie, de qua mox dicam) juxta se quasi manu ducens, cœpit cum ingenti Majestate progredi, in illa Divina & admiranda processione, honorando & glorificando suâ Divinâ Personâ totam illam cœlestem Jerusalem. Ibat indutus vestitu regio, gestans pretiosissimam coronam in suo Divino capite: comitabantur illum, & inferviebant ipsi universi Incolæ illius cœlestis patriæ. Omnes aspiciebant, & conjiciebant subinde suos oculos cum inusitato stupore in illam animam, quam in specie parvulæ puellæ, splendidissimè vestitam, ac pulchrè adornatam & comptam Dominus ducebat manu, dicebantque: Quæ est ista adeò felix anima? quæ est ista, cui noster magnus Rex ac Dominus exhibet tantum favorem & gratiam, quòd illam deduxerit ad hæc beata habitacula, ducâtq;

hoc modo tam honorificè, & amanter, tantisque cum blanditijs, juxta se, & suâ manu? Quænam est hæc Anima tam fortunata, quæ tantum bonum est promerita? Ista dicebant intuentes semutuò cum magna admiratione Divinæ Bonitatis. Mea pauperula anima partim summo affluebat solatio, plurimumque recreabatur & confortabatur, quòd se videret ita conjunctam ac unitam suo DEO; partim vero quasi confundebatur, & pudefiebat coram illis cœlestis Aulae Incolis, considerando ipsorum dicta, & existimando se esse vile ac miserabile mendicabulum, & pauperulam pannosam, quæ se ingessisset inter homines tam illustres, & insuper appropinquavisset ipsi magno Regi. Circumivit illa Divina Processio, ut dixi, totam illam civitatem DEI, donec Dominus perveniret ad locum, in quo primum fuerat. Atque tum cessavit illa cœlestis musica, finitæque fuit illa mirabilis pompa, & Dominus me duxit secum usque ad portam illius civitatis, quâ fueram ingressa cum tanta difficultate & molestia, ut dictum est, quæ significabat eam, cum qua oportet animam intrare ad inhabitandam cœlestem Patriam, & adire possessionem æternam sui DEI, quantumque ipsi laborandum sit, ut perveniat ad fastigium perfecti Amoris DEI. In eo loco Dominus meam animam secum univit, quæ sibi restituta post illum raptum, se invenit in suo angello, ubi ipsi summè fuit necessarium se committere manibus sui DEI, & ipsius sanctissimæ voluntati, quòd se videret rursus in exilio. Benedictus sit DEUS in æternum propter omnia opera sua, & misericordias. Amen. Natura mea remansit adeò debilis ac destituta viribus, quâ raptus fuit valde diuturnus, ut opus haberet confortari à sancto Angelo meo Custode, fructu, & aquâ mysticâ, quam Beatissima Virgo illi miserat, pro ejusmodi occasione; prout jam scriptum est.

§. IV.

Elapsis postea aliquot horis, dum egerem cum Domino, dixit mihi vocans

cans me de nomine: Marina, veni mecum, quò te ego ducam, & noli timere defatigationem naturæ, ac defectum Spiritus, quia nihil inde capiet detrimenti. Deinde me Divina Majestas non invitam sustulit ad sua brachia, posuitque in momento super fluctus cujusdam vastissimi maris, qui videbantur esse altissimi montes. Ibi mea anima diutissimè mansit absque ullo metu ac timore; quia sibi videbatur esse collocata in brachijs sui DEI, ab eoque protegi. Atque inde illam duxit Dominus ad forum cujusdam maximæ civitatis, quæ videbatur totum mundum completi, & in ejus medio ipsam elevavit in altum. Rursum ibi mea anima diu mansit eodem modo, ac absque ullo timore, & cum summa admiratione talium operum DEI, ignorans, qualia essent illa mysteria. Inde verò eam Divina Majestas tulit, posuitque in quodam æqualissimo campo, & in medio maximorum agrorum. Ibi mea anima se iterum aliquamdiu detinuit, & venit ad ipsam Dominus, atque cum illam vellet elevare ex terra, in qua jacebat prostrata, videbatur illi aliquis resistere; Dominus autem perseverare in proposito, unaqueque, qui id prohibebat. Hoc meam animam affecit magno & novo stupore. Tandem, quia comparatæ cum potentia DEI omnes vires sunt debiles, nec est qui illi resistat, elevavit inde Dominus meam animam, mansitque ipsius corpus ita designatum & expressum in terra, ac si hæc fuisset candidissima nix; & corpus grave ac durum. Elevatam autem ex terra, tulit Dominus in se ipso, & in suis Divinis brachijs ad cœlestem Jerosolymam, ad eam felicem terram viventium, ubi fuit cum magna lætitia & gaudio, à tota illa cœlesti Aula, ac Spiritibus beatis suscepta. Omnes lætabantur, & congratulabantur ipsi, atque amplectebantur illam cum summa charitate & amore. Ibi cum ea lætitia, & in illa sancta societate mansit diutissimè, subito autem illi Dominus indicavit, quòd ipsam esset inde educturus, ac delaturus ad ejus exilium: sed quia id illa quàm ægerimè ferebat, invocabat suum DEUM cum maximo affectu, ac dicebat: Nè me auferas,

mi Domine, nè me auferas, obsecro te per te ipsum, ex his beatis habitaculis, nè me auferas, Domine. Quare hoc vis facere? si id habebas in animo, mi DEUS, quare me huc deduxisti? non est mihi hinc abeundum, Domine. Et cum hæc diceret advertit se fatigatam & abreptam, inciditque ipsi quædam cogitatio, disponente ita Domino, & dixit intrase: Bone DEUS, quanta sunt ista, & quàm inusitata, quæ mihi contingunt! si modò mihi ipsi relicta, & per meam imaginationem hinc possum abire, quare hoc nunquam aliàs facere possum? atque ita instabat ac urgebat, ut reverteretur ad suum angellum. Dum id tantopere postulareret, reperit se in illo, & suum DEUM secum, ubi ipsam est alloquutus Dominus, dixitque ei modò quodam amabili, & ameno. Anima mea, quomodo te hinc invenio? quis te deduxit ad tuum locum? nonne ego fortè? modò mihi non negabis, quòd tui adventus tu ipsa sis causa, quòdque illum procuraveris, ac proinde noli de ullo alio conqueri, quàm de te. Et statim conticuit Dominus, atque mea anima remansit quasi sola, & constituta sicut prius fuerat, circiter unâ horâ. Deinde verò vidit Divinum, quendam Solem, emittentem ex se magnos splendores claritatis ac lucis, & apparebat instar vehementis ac suavis ignis, qui ardebat & coruscabat in se ipso. Hic Divinus Sol abripuit meam animam, univitque sibi fortissimâ unione, & paulò post illam Dominus paulatim à se dimisit, atque sibi restituta consuetum habuit statum, tamen plurimum miraretur talia opera sui DEI.

§. V.

Post hoc, renebatur desiderio sciendi, quid significarent ea, quæ mysterijs plena cum ipsa fuerant acta, & in ea Dominus emi operatus, præsertim quando ipsam collocavit in terra, & hæc illam prohibebat elevare, volebatque à se dimittere. Interea ipsi dixit Dominus: Ahima mea, nè desideres scire mysteria eorum, quæ tibi contigerunt, quia hæc scientia te non delectabit.

bit. Unum tibi dicam, quod attinet ad terram, in qua te posui, & à qua retinebaris. Causa ejus rei erat, quod ipsa allegaret tuum corpus jure ad se pertinere, & se juxta legem ordinariam petere justitiã, ac velle sibi tribui, quod eatenus esset sibi debitum. Mea anima vehementer obstupuit, quòd illi hoc à Domino diceretur, sed adhuc optabat reliqua rescire. Cùm Dominus agnosceret, quid animo voveret, dixit: Exponam tibi cætera, quæ desideras. Noveris igitur, quid tibi mecum acciderit, quando te constitui in eo Castello, ubi tibi ostendi partes mundi, quæstusq; sum, quòd mihi meæ creaturæ malè respondeant, & jussi te pro illis orare, id quod tu facis, obediendo mihi. Eaproptertu fuisti aliquã ratione quasi Domina cõstitutata eorum, quæ vidisti, & ego tibi ostendi, eum in modum, quo aliquis emeret suã pecuniã, vel pretio sibi gratis dato, agrum aut fundum. Præterea ego omnia creavi in usum hominis, & specialissimè pro meis servis, ac amicis, qui me amant, mihi que ex corde, & serió ac libenter serviunt; propter quod ipsos facio quasi Dominos rerũ

omnium, tanquam filios meos adoptivos: siquidem univèrsa ipsis debentur, & insuper possessio aterna mei ipsius, quod Dominium etiam tibi contuli hodie, dando tibi quasi possidenda hæc omnia, quando te posui in quavis parte, & loco eorum, quæ tibi gratiosè dono. Hoc significant illa, quæ vidisti, & quæ tibi evenerunt. Dum mea anima audiret ista sibi à Domino dici, statim initio primorum verborum intellexit omnia secutura, & vehementer confusa ac pudefacta ijs, quæ ipsi Dominus dicebat, ac fufius volebat dicere, valde dolenter dixi: Domine mi, & mi DEUS, noli mihi dicere plura, per temetipsum terrogo, quia te optimè intellexi, & sum vehementer confusa ac pudefacta, expendens tuam misericordiam & Bonitatem erga me, meam verò malitiam, & quàm tibi sim ingrata; noli mihi dicere plura, Domine. Anima mea (respondit Dominus misericordiarum) nõnne ego tibi dixi in principio tui desiderij, quòd tibi non esset futurum volupe, scire significationem horum mysteriorum? Vale.

(e)**(a)

CAPUT XVI.

Quomodo à DEO jussa fuerit ascendere in spiritu ad cœlestem Aulam, per terribilissimam scalam, fueritque ipsi revelatum, quàm pauci ità ascendant, ut perseverent usque ad finem, & qualiter aliàs conscenderit similes scalas, onusta gravi Cruce.

§. I.

Aliam visionẽ habuit Marina, quæ strictim magis declinat, descriptam in precedenti capite. Quãdam feriã tertiã Hebdomadæ sanctæ, inquit, dum agerem cum DEO, & essem valde afflicta, vidi scalam à terra pertingentem usq; ad cœlum, infernè latam, ac supernè angustissimam, & supra illam Christum Dominum, qui mihi dicebat: Ascende

huc. Ego tergiversabar, timens angustiam scalæ, mei verò Domini quatuor Angeli me animabant, ideòque constitui ascendere: quando autem perveniebam ad summam altitudinem, angebar, & vehementer sudabam, tandemque veni ad cœlum, ubi Angeli linteo absterferunt sudorem meum vultum. Postea mihi dixit Dominus: Perlustra istam cœlestem Civitatem, & recreare ejus aspectu. Paulò post rursus: Perge illuc, ajebar, & videbis, quid fiat. Perrexi ad locum mihi à Domino designatum, & cùm aspicerem deor-

deorsum; vidi maximum campum, plenum innumeris hominibus, atque hos iurantes, & blasphemantes; illos ridentes; alios committentes furta; alios labentes in multa peccata; & in medio eorum commoventes multos demones, qui illos stimulant ad peccandum. In quodam campulo separato & remoto videbam Religiosos, ac viros pios, deditos contemplationi, nec non quasdam devotas feminas, quæ erant plures: Verum adverti omnium numerum esse exiguum, respectu tam magni campi, ac tantæ multitudinis, quæ in eo erat. Dixitque mihi Dominus: Hoc fit in mundo, & in Christianitate. Tum intuita scalas, quas conscenderam, vidi in iisdem aliquos ascendentes, & post superatos paucos gradus corruentes, aut recedentes, quia erant vel valde operati, vel pingues aut corpulenti; atque etiam Religiosi ascendebant, quorum nonnulli cadebant, vel revertebantur. Intellexi autem hæc omnia fieri propter prætensiones, quibus omnes isti erant obnoxij rerum mundanarum ac terrenarum. Afflixit me ea res summè, eò quòd viderem, quam pauci ferò serviant DEO, & suppliciter ipsum rogabam, ut omnibus succurreret.

§. II.

Postquam aliàs (in Septembri anni 1620.) noctem unam transegissem in horrendis cruciatibus, haberemque meum cor quasi confractum, & faucium commiseratione, ac vivaci apprehensione, quam illi DEUS ipsius dederat, molestiarum, angustiarum, & infirmitatum ac dolorum, quibus premebantur mei proximi, vocavit me Dominus, dixitque: Anima, veni ad me, & conscende hos gradus, quos jam vides; licet autem appareant ascensu difficiles, mei Angeli te juvabunt. Subito me reperi apud infimum gradum scalæ altissimæ & præcipitis, quæ videbatur esse valde ardua, ideòque difficulter posse conscendi. Elevavi oculos, & aspexi, ac timui ipsius ascensum. Tunc venerunt ad me Angeli, & confortaverunt me dicentes: Noli timere, Anima, istum ascensum, quia Do-

minus DEUS te juvabit, & nos nomine ipsius. Hoc dicto, accrevit meæ animæ animus, & vires. Cum verò inciperem scandere scalam, utcumque animata, quemadmodum dixi, vehementer timebam. Angeli me animabant & confortabant dicendo: Noli timere, quia non periclitaberis, Divinâ opitulante gratiâ. Hac ratione perveni ad finem istius scalæ, quæ pertingebat ad ipsum cælum; ubi attolens oculos, vidi Majestatem JESU Christi Domini Nostri, & totam Beatissimam Trinitatem. Tunc mihi Dominus dixit benignè & amanter, assumens meam animam ad se ipsum: Intra, Anima, cum benedictione in requiem æternam tui DEI. & postquam illi exhibuisset spectandam æternitatem infinitorum ac maximorum bonorum, oblectavit se illis aliquamdiu; donec ipsam ex suis brachijs dimisisset ad manus Angelorum, qui eam deduxerunt ad illius locum.

Post aliquot horas mihi dixit Dominus: Anima, nunquid es bene contemplata hoc mysterium? repræsentabat tuum statum, ac viam, quâ te oportet ad me venire: Gradatim cum tua cruce ascendis in altum, dum amore mei pateris, quod tibi ego offero ad majus tuum bonum, atque ut in te glorificer, & impleantur ea, quæ ab æterno decrevi. Ascendis autem adjuta à me, & à meis sanctis Angelis, conservando semper timorem, qui est in vita mortali necessarius; & hoc modo ascendendo, pervenies istâ viâ ad tuum DEUM, adibusque æternam possessionem gaudiorum ipsius, ac beatitudinis.

§. III.

Alio die (9. Augusti, anno 1621.) Sancti Angeli, mei Domini, me duxerunt per quasdam scalas sursum ad cœlestem Jerusalem: erant scalæ internè latissimæ, supernè verò arctissimæ, & pertingebant usque ad cælum. Incepi illas conscendere cum cruce, quam gestabam in meis humeris, ejus magnitudinis & coloris, cujus sunt cruce, quas ferunt pœnitentes in supplicationibus. Initio vehementer recu-

S

labam

fabam illas scandere, propter meos solitos timores, neque perveni ulterius, quàm circiter ad earum medietatem, cum maximo labore & molestia mea, atque ideo fui reducta ad meum locum. Paulò post incepti secundo ascendere, onusta meâ cruce, cum eodem labore, & sudando, ac tandem cum magna afflictione perveni usque ad portam cœli, quam inveni clausissimam, & incepti pulsare, petivique mihi aperiri; neque tamen accipiebam ullum responsum. Incepti vocare sanctos meos Patronos, rogans ipsos, ut mihi aperirent, specialiter verò invocabam Sanctum Apostolum Petrum, & Sanctum Michaellem, ac sacratissimam Virginem, quàm devotissimè, usque ad defatigationem. Omnes se fingeant surdos, & mei sancti Angeli contrahebant humeros, urgebantque me, ut clamarem, & sudabam valde præ molestia. Venit ad me Sanctus meus Angelus Custos, abstersitque peramanter meum sudorem, quo madebat facies, dicens: Clama, Soror, nè cesses. Tunc temporis vidi, quòd Crux inciperet vehementer resplendere, & recordata Sanctorum Patrù, Sancti Dominici & Sancti Ignatij, cepti illos invocare, dicendo: Patres sancti, aperiant mihi portam, ac intercedant pro me. Et fuit in momento apertum Cœlum, quasi pars illius disrumperetur, atque Beati Patres me introduxerunt: Crucem autem, quam gestabam humeris, abstulit quidam Angelus, quæ resplenduit millies magis, quàm aurum, & intulit illam mecum ad Cœlum. Ingressa, subito vidi Majestatem Christi Domini Nostri, cum omnibus Sanctis, quos invocaveram; prostravi me ad sanctissimos ipsius pedes, erigensque me à genu flexione, cecidi super brachia & manus Domini, qui stabat ac habebat manus pendulas. Mansi diu in ecstasi, in qua sum contemplata Divina magnalia, quæ nemo potest, neque novit explicare. Elevavit me Dominus ex eo loco, in quo eram, ita abreptam, ac destitutam viribus, ut non potuerim pedibus consistere: acclinavi me ad Christum Dominum utroque brachio, qui hoc modo acclinatam, stupentibus omnibus illis San-

ctis & Angelis, à sua Humanitate, apud quam eram, me duxit ad conspectum Beatissimæ Trinitatis, dixitque suo sanctissimo Patri: Pater æterne, hic adduco istam tuam creaturam, ut tua Divina Majestas illi benedicat. Et continuo mihi disparuit Christus Dominus. Pater æternus mihi benedixit, univique me secum tam forti unione, ac tam extraordinariâ, ut fuerit una ex majoribus, quas unquam habui, & in illa vidi perfectiones DEI, plurèq; Divinorum ipsius Attributorum perfectiones, quàm possunt verbis explicari, aut percipi ab imaginatione humana. Aliquanto post dixit Divina Majestas meis sanctis Angelis: Reducite istam creaturam ad eum locum. Ego non volebam abire, sed potius ibi perpetuò manere; Dominus autem mihi dixit: Noli dubitare, te brevi migraturam, pauci enim tibi desunt gradus ad perfectionem requisitam, ut apud me maneat. Postquam id dixisset Dominus, ipse me ita unitam suæ Majestati deduxit, mecum descendendo ad meum locum, ubi me reliquit magnâ abreptam ecstasi. Quando ad me redij, reperi me solam.

§. IV.

Quodâ die (in Septembri anni 1623) vidi, quòd duo ex meis Dominis Angelis sustentarent suis manibus scalas ex auro splendidissimo, quasi in aère, ita ut non contingerent terram: Erant autem posteriore sui parte valde arduæ, & quasi pronæ ad casum. Iusserunt me illas scandere, quâ erat ascensus difficilior. Ascendi cum maximo labore & molestia, donec pervenirem ad earum summitatem, unde intravi cœlum ad conspectum Beatissimæ Trinitatis. Mansi ibi diu, quasi in ecstasi, fruendo felicibus & beatis bonis, quæ non possunt explicari, cum magna voluptate & quiete. Inde me reduxerunt ad meum angulum, & dixi intra me: Quid est hoc ascendere per posteriorem & arduam stellarum partem? melius fuisset ascendere ex parte, in qua illâ Angeli tenebant. Dominus autem mihi dixit: Noveris Soror, ad

ad cœlum esse ascendendum per molestias, & angustias, & non per scalas commoditarum, quemadmodum existimant mundani. Atque hoc te volui docere in mysterio, quod vidisti.

Alio die (in Februario anni 1623.) cum essem vehementer afflicta à meis continuis doloribus & cruciatibus, reperi me onustâ cruce gravissimâ, ut difficillimè ambularem, comitantibus me Dominis meis Angelis, qui me illam iuvabant portare. Ascendebam quosdam gradus per commodos, & latos, donec pervenirem ad cœlum. Ubi quasi ad illius portas pervenissem, Dominus prodijt ad me excipiendam, dixitque mihi: Soror, depone Crucem, quia nemo cum illa huc potest ingredi: in exilio oportet esse cruces, per quas itur, usque dum perveniatur ad cœlum. Statim fuit ablata Crux ex meis humeris, & Dominus me induxit in illam cœlestem patriam, ubi Divina Majestas se arcè univit meæ animæ, mansique ibi satis diu, fruens illo summo Bono, & conquiescens in ipso. Postea dixi ad meum sanctum Angelum Custodè: Verè, Domine Angele, crux erat admodum gravis, ut, nisi me juvissent illam portare, non potuisset à me sustineri: quando accessisti ad me, & applicuisti tuos humeros, sensi ingens levamen. Sanctus Angelus autem mihi respondit: Ità fuit, Soror, nos Angeli DEI sumus præditi magnâ potentiâ, & ex officio nobis incumbit juvare Servos DEI in ipsorum afflictionibus atque crucibus, quas patiuntur.

§. V.

DEnique nè natum nimium timeres ascendere scalas tam arduas, cum cruce tam gravi, ingruente mortis tempore, quod est periculosissimum, representavit illi Dominus in duabus admirandis visionibus auxiliâ, que tunc esset habitum. Quadam nocte, ait, derepentè me inveni extra meum lectum in terra stantem, oneratam cruce gravissimâ, ità ut me non possem movere ex loco, in quo stabam. Aspiciebam meos sanctos Angelos, qui aderant, modò hunc, modò illum, qui se ostendebant vices me-

as dolere, & animabant me ad ferendam meam crucem. Sanctus meus Angelus Custos illam modicum sustentavit, & sic potui incipere cum ipsa progredi, comitantibus me sanctis Angelis, qui dicebant: lentè, lentè; quasi dicerent, ut incederem paulatim & pedetentim. Postquam diu hoc modo ambulavissem, descendendum mihi erat procul deorsum ad profundam vallem, qui descensus fuit molestior. Pervenì ad quendam fluvium, quem facilius transivi, atque trans ipsum erat via instar paradisi. Dixeruntque Angeli esse mihi eundum per illam viam. Ego verò illis respondi: Non, mei Domini, nolo enim in hac vita paradisum: & hoc bis, tève, constanter asserui. Illi iterum dixerunt: opus esse illac transire, & me tunc non experturam ejus viæ jucunditatem. Ità consensi, ac transivi per illam viam, gestans meam Crucem humeris, quasi ipsam non transirem. Postquam autem aliquamdiu ambulavissem, ex improvise me inveni apud portas cœlestis Jerosolymæ, ac vidi Christum nostrum Dominum, qui mihi venit obviam, & sustulit meam crucem, quam portabam, deditque illam uni ex ijs Angelis. Deinde me amplexatus est, introduxitque in eam cœlestem Civitatem, & constituendo me in certo loco, dixit mihi: sede, & quiesce, ac aspice magna bona, quæ hic reperiuntur, quibus fruitura es in æternum. Tum ego cum eo lumine, quod mihi Dominus contulit, incepti contemplari beatitudinem Sanctorum, & aliquantum illâ frui, ac deinde me sensi quasi submersam in abyssu Divini Esse, unitam Divinæ Majestati. Et postquam ità ibi aliquamdiu mansissem, quando mihi sum reddita, reperi me in meo lecto. Deinde mihi fuit declaratum mysterium totius hujus rei, dum mihi diceretur, quòd illa crux significaverit afflictiones, & angustias, quas patior, & maximâ illâ molestiâ, quam sensi in descensu ad eam vallè, fuisse repræsentatas summas angustias, quas, vicina morti essem perpassura, sed non diu duraturas, atque potituram me magnâ pace, & quiete, significatâ per illum paradisum.

Sf 2

§. VI.

§. V I.

Amplius id declarat sequens visio. Aliquando manè, *inquit*, mihi ostendit Dominus quasdam scalas, quæ à terra pertingebant ad cœlum. Erant ex auro purissimo, ac tenebantur à quibusdam sanctis Angelis in parte posteriore. Dixitque Dominus: Ascende sursum, Anima, per has scalas, non enim est, cur illas taliter aptatas, reformides. Audita voce Domini, ascendi velocissimè, quia virtus Divina sublebat meam animam adeò, ut videretur esse instar triremis, quam sulcantem mare suavis ventus velociter impellit. Pervenit mea anima usque ad summitatem illarum altorum scalarum, & statim videbantur aperiri coeli, quasi in momento dirumperentur: atque Dominus subito dixit sublimi quodam & benigno modo: Intra anima in gaudium tui DEI. Lætata est tum mea anima in ea regia & beata Civitate DEI, in qua illi fuerunt ostensa admiranda bona, quibus aliquamdiu fuit fruita, sicut aliàs. Revelavit mihi Dominus suo lumine, scalas aureas fuisse figuram & symbolum meæ mortis, in qua in mo-

mento ac facillimè, per ipsius bonitatem, & misericordiam, esset transferenda mea anima ad illam felicem patriam manibus sanctorum Angelorum. DEUS novit confusionem, quam mea anima sentit, quòd hoc scribam, & ipsa id intelligat à suo DEO, quàmque timeam, si propter meas tepiditates, ac peccata, deberem perdere thesauros harum misericordiarum. Confidam in Domino DEO meo, qui est infinitè bonus, & dives in misericordijs.

Hoc tempore, quo mihi DEUS toties revelabat suam Gloriam, dixi meis Dominis sanctis Angelis, me relinqui incertam à DEO, quoad meum transitum. Ipsi contraxerunt humeros, & Dominus mihi respondit: Non est incertus is, cui proficiscenti ad suam patriam & civitatem ostenduntur illius turres, & portæ, ac ædificia, & palatia. Signum est ipsum esse vicinum. Hoc Dominus dixit, ut me conservaret, sicut me conservat, unà cum cruce, quam patior in illa unione animæ cum ipsius Divinitate, & quasi inter cœlestis Aulae Incolas.



CAPVT XVII.

Quomodo illi Christus Dominus ostenderit in suo Divino pectore Crucem, quam tulerat jam inde à sua Conceptione, eandemque ipsi desponsaverit, ducendo illam cum ea ad Cœlum, & cumulando magnis gratijs.

Miris modis usus est DEUS, ut famula ipsius tot afflicta doloribus, & alijs, quijs gravantur, libenter ferant crucem, per quam intrantur in gloriam, quemadmodum eam tulit ipsemet Dominus, qui patiando in eam intravit.

§. I.

Quodam die (in Aprili anno 1622.) mihi dixit Dominus: Veni mecum

anima, & videbis, quid tibi velim ostendere. Ego respondi: Domine mi, sunt tantæ gratiæ, quas mihi præstitisti, & tam mirabilia, quæ mihi ostendisti, ut nesciam, quid amplius mihi videndum super sit. Dominus autem mihi respondit: Et nonne ego sum Bonum infinitum? quantumcumque videris, supersunt tibi multò plura videnda, & mihi multò plura ostendenda. Dixitque me Divina Majestas ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi Christum Dominum, qui in suo sacro pectore habuit eandem Crucem, & dixit mihi ejus Majestas: Istam

Istam Crucem habui meæ animæ infixam, ab instanti meæ Conceptionis, quæ erat terribilis, ac molestissima. Et verò talis mihi visa est. Dedit mihi quoque Dominus specialissimum lumen, quo agnovi gloriâ, quam anima Christi Domini habuit, & quâ est fruita jam inde à tempore suæ Conceptionis, unâque id, quod sustinuit in Cruce. *Hoc suffecerit ad illam amandam & amplectendam; magis autem idem declaratur in sequentibus revelationibus.*

§. II.

DUm aliquando manè (in Januario anni 1622.) agerem cum DEO, more consueto, vidi in meo cubiculo quendam sanctum Angelum DEI, formosissimum, & splendidissimum, qui amplectebatur Crucem ex purissimo auro, tam gratiosam ac splendidam, ut videretur obscurare pulchritudinem ipsius Angeli: adæquabat magnitudine ulnam, & erat aliquantum lata. Sanctus Angelus mihi dixit, accedens ad me: Famula DEI, & Sponsa JESU Christi, qui est unicum nostrum Bonum, accipe istam Crucem, ac donum, quod tibi Dominus mittit ex Cælo. Dum intuerer Crucem, apparuit mihi tam horribilis ac aspera, ut re verâ natura timuerit, & quodammodo defecerit, mihiq; incusserit ingentem metum Crucis, & fuerim turbata, quamvis pars superior animæ fuerit valde resignata, ut mihi videbatur, in voluntatem DEI, ideòque non sum ausa illam suscipere. Quando sanctus Angelus cognovit meos timores naturæ debilis ac fatigatæ, gratiosè & graviter mihi dixit: Famula DEI, nè timeas suscipere Crucem, & munus, quod tibi Dominus mittit; quia tibi promitto, non fore eam tibi gravem, sed allaturum robur & solatium, quemadmodum Sponsa est levamen, delictium, & solatium, atq; gaudium sui dilecti Sponsi. Cum audirem hæc verba sancti Angeli, fuit animata atque confortata natura, & accepi sanctam Crucem, eamque sum amplexata cum maximo solatio & gaudio, assumpsique illam in sponsam & amicam meam, resignando me penitus, & ex toto

meo corde in voluntatem & manus DEI, ut ipsius Majestas exequeretur in me, quoad omnia, suam sanctissimam voluntatè; ac eliciendo multos actus hujus resignationis, quam optimè noveram. Postquam id fecissem, Dominus Angelus meus Custos celeriter abstulit Crucem ex meis manibus, & servavit illam in se ipso, sicut consuevit asservare alia cimelia, quæ mihi Dominus dedit ex mera sua bonitate. Cum sancto Angelo, qui attulerat Crucem, venerat alius, qui ferebat Calicem in suis manibus, & accedens statim ad me, obrulit mihi illum eodem modo, quo prior Crucem, dicendo: Sponsa JESU Christi, accipe istum Calicem, quem tibi hic Dominus mittit. Non renuit natura illum acceptare, quem propterea subito suscepi, & applicui meis labijs, osculando ipsum, cum magno solatio, & gaudio: & sanctus Angelus unâ cum focio discesserunt à me.

Post hoc mihi dixit Dominus, animando & confortando me: Anima mea, nè timeas, quia hæc omnia facta sunt, ut tibi daretur occasio eliciendorum actuum, quos elicuisti, resignationis, non autem ob ullam aliam causam. Hoc dicto, fui multum confortata in Domino, & egi illi magnas gratias pro magnis favoribus, quos mihi continuè præstat. Post biduum deinde, dum agerem cum DEO, & elicerem multos actus resignationis in ipsius sanctissimam voluntatem, conspexi Crucem aliquantum fuscam, quæ habebat colorem ligni ordinarij, & statim ac illam vidi, toto affectu ipsam adoravi & honoravi, atque cum gaudio, & magna oblectatione sum, disuaviata, appressique mihi fortiter, cum ingenti turbatione meæ animæ. Dum ita eam amplexarer, vidi, ac adverti in altera parte crucis Dominum illi affixum, & ex ipsomet Domino prodeuntem quandam virtutem, fortitudinem & gratiam, quæ permeans eandem Crucem, communicabatur meæ animæ, unâque ipse Dominus se mihi cum illa communicabat. Mea anima fuit adeò animata & confortata, ut senserim magnas & novas vires, ac animû ad patiendum. Vehementer obstupui hoc Divinum mysterium, & exclamavi di-

cens ad meum Dominum, quasi meo ac omnium animarum nomine: Mi DEUS, & mi Domine, si tua Majestas est affixa eadem Cruci, quam nobis das, & quando amplectimur Crucem, amplectimur te, quis Crucem timeat? Tum incepi summis extollere laudibus Crucem, & proferre verba, orta ex intensis affectibus amoris, quo illam persequuta sum, cum peculiari lumine, quo mihi Dominus manifestavit hanc veritatem. His à me dictis, subjunxit Dominus quàm gravissimè: Ità, est verum, Anima, quod dicis. Mansi in ecstasi aliquamdiu, & quando ad me redij, gratias egi DEO. Paulo post, cum diceretur Missa, suscepi Dominum in sacra Communionem, & postquam communicavisse, sensi maximam & specialissimam unionem meam animæ cum Domino, atque Domini mecum, arctiorem, quàm unquam mihi videar habuisse. Et dum essem ità unita, dixit mihi Divina Majestas: Anima mea, apprehendisti me, quia ego ità disposui, & volui, ac permisi me à te apprehendi: ego etiam tibi adhæsi indissolubili vinculo, tanquam Sponsæ. Esto certa, quòd te nunquam sim dimissurus, nec relicturus, neque etiam tu unquam me sis relictura, vel à me recessura.

§ III.

SEquenti mense, in festo Angeli Custodis (1. Martij anni 1622.) cum vehementer gravarer & affligerer à multis & continuis doloribus, quos fueram passa, continuis triginta diebus, & natura mea esset valde debilitata atque consumpta, ut quasi ipsa viderentur esse confracta & comminuta ossa persecutionibus diaboli, cui Dominus dederat licentiam exercendi in me sui furoris, quamvis cum solita limitatione; postquam me præmonuissent mei Domini sancti Angeli, quòd sequenti die essem affutura ipsorum festo in Cælo: hoc die, inquam, manè, vidi meos Dominos elegantissimè & solennissimè ornatos, sanctum quoque Angelum superiorem, qui me vidente ante paucos dies amplectebatur auream crucem, à qua mihi fuerat in-

cussus tantus terror, atque hic mihi dixit: Soror surge, ac pone te in ista Cruce, conscende hos gradus, quos in illa vides, & colloca te in isto ipsius brachio. Statim me arripuerunt mei Domini, & duxerunt sursum per gradus ad brachium Crucis, circumdederuntque caput meum coronis, quæ etsi fuerit spinea, tamen mihi non nocuit (erat autem pulcherrima aspectu) & manui meæ inferuerunt tres clavos. Interea fui modicum rapta in ecstasim, & quando redij ad me, vidi Majestatem Christi Domini, qui occupabat alterum Crucis brachium. Mirata sum vehementer, quòd illum viderem, & fui attonita, inclinavique me ad brachium Domini, atque ità me tulerunt mei Domini ad celestem Jerosolymam, & Dominus etiam mecum ibat, quamvis suà propria virtute. Postquam sic fuisset ingressa in illam celestem patriam, fui per ipsam totam circumducta, comitantibus me plurimis Angelis, qui clamabant, & vocibus suavissimis laudabant DEUM, eò quòd mihi concessisset victoriam relatam de diabolo, cum quo illis triginta diebus strenuè pugnaveram. Atque cum his suavissimis clamoribus me duxerunt per totum Cælum, procedentibus ad me videndam omnibus illis sanctis Civibus, & admirantibus, dum me viderent. Finità hac obambulatione, me duxerunt ad conspectum DEI Trini & Unitus, ac deduxerunt ex Cruce per ipsius gradus, & prostraverunt coram Domino. Ego ab illo instantissimè petivi veniam multorum defectuum à me commissorum ijs triginta diebus in patiendo, unaque operem, & gratiam, quæ esset opus deinceps habitura. Dominus me est solatus, & valde animavit, dixitque mihi: Bene est, quia etsi commiseris quosdam defectus in eodem quo loqueris, sunt tamen instar exiguarum palearum, injectarum in infinitum ignem, & quod ex illis oritur, est quasi ornamentum pretiosissimi alicujus vasis. Non patiar te abire vacuum ex mea domo, accipe hoc munus. Indueruntque me quidam quasi epomide, quali exornantur Doctores, & capiti imposuerunt Doctoralem lemniscum omnium colorum. Hanc au-

rem tibi confero gratiam (ajebat Dominus) quia in cathedra Crucis, quam es perpessa, te gessisti & exhibuisti Magistram in patientia, me adjuvante, ac sublevante. Tum Dominus, datâ mihi suâ sanctissimâ benedictione, à me discessit. Postquam autem redij ex mentis excessu, inveni me in meo angulo; & quando deinde communicavi, repletum fuit Oratorium, ac meum cubiculum Angelis DEI, qui flexis genibus, & cum magna reverentia, atque cum cereis albis accensis, aderant Sacro à Consecratione, usque dum fuisset refecta epulo Eucharistico.

Alio die, dum jam vellem communicare, quando Sacerdos est ingressus in meum cubiculum cum Augustissimo Sacramento, audivi quandam vocem intrâ me ipsam clarè ac distinctè, & agnovi esse Divinam, quæ dixit: Bene veneris, Domine, & Fili mi, ingredi in hanc animam, & faciamus mansionem, habitemusque in illa. Fui vehementer consternata, auditâ istâ voce, dum considerarem, quomodo Christus vocaretur Dominus, si ea vox esset DEI? Dominus autem me pacavit dicendo: An nescis, dixisse Propheta: *am regium? Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Acquievi, & admirata sum Bonitatem ac Majestatem Domini.

§. IV.

PER biduum vel triduum (in Novembri anni 1622.) comparuit meæ animæ aliquoties Christus Dominus Crucifixus, ego autem propter meos ordinarios timores, quibus semper sum obnoxia, me ab eo averti. Tandè vidi rursus Divinam Majestatem ita Crucifixam, atque cum vehementibus affectibus & anhelitibus animæ, quasi currendo, me prostravi ad pedes Domini, & apprehendi ac amplexata sum illos arctè. Tunc mihi Dominus dixit: Hoc proterus, Anima, hoc est, quod ego his diebus propositum mihi habui, dum tibi me præberem spectandum. Nonne me vidisti? Cum amplecterer pedes mei Domini, vidi post Crucem duas scalas; unas magnas multorum graduum,

sed faciles ascensu, quæ fixæ in terra perungebant ad summitatem Crûcis; alias minores, quæ erant sub magnis, & habebant pauciores gradus, sed valde arduos, ac ascensu difficiles, videbanturque esse ex ære, vel ferro, erantque rotundi, ac pauci. Dominus mihi dixit: Anima, ascende per unam harum sca'arum. Contemplatum illas diutissimè, & videbatur meæ imbecillitati conveniens, conscendere majores, eò quòd hoc essem factura facilius, tametsi essent longiores, foretque temeritas, velle scandere minores, utpote valde arduas. Constitui ea de re interrogare Dominum, dixique: Mi Domine, quas ex istis scalis jubet tua Majestas me conscendere? Dominus autem mihi respondit: Conscende, quas volueris. Non, mi Domine, reposui, quas me jubet tua Majestas conscendere? Tum Dominus dixit: Minores. Incepi illas scandere, & in primo gradu sum experta maximam molestiam ac laborem. Postea mihi est dictum, illum primum gradum fuisse afflictiones, dolores, ac molestias maximas, quas eo die eram perpessa. Brevi perveni rursus, sed cum summa difficultate, & postquam eò pervenissem, inveni me affixam eidem Cruci mei Domini in altera ipsius parte. Elevabatur verò paulatim Crux cum Domino, & mecum in altum, usque dum perveniret ad portas Cœli. Postquam eò pervenissem, petivi cum vehementissimis affectibus mihi portam aperiri. Prodiverunt duo Angeli valde graves, ad respondendum: rogavi ipsos, ut mihi aperirent. Et illi mihi dixerunt: Quis adest? quis vult ingredi in istam cœlestem patriam cum Cruce? hîc nullus cum illa ingreditur. Nihil hoc loco aliud est, quàm Gloria, Beatitudo, & Quies. Donec veniatur ad portam Cœli, opus est Cruce, sinè ipsa enim non potest ascendi; nequaquam tamen cum ea intratur. Et quamvis roga rem, ut mihi aperirent, tamen non aperuerunt, sed me relicta iverunt sancti illi Angeli ad conspectum DEI, ac dixerunt Divinæ Majestati: Domine DEUS noster, quædam anima crucifixa clamat ad portam cœli, & vult intrare: quid jubet Tua Majestas

jestas fieri? Dominus quàm amantissimè & benignissimè dixit: Pandite istos cœlos, & ingrediatur. In momento fuerunt aperti cœli, & ingressa sum per hiatus illarum aperturarum, ubi reperi Christum Dominum (qui jam, me non vidente, descenderat ex Cruce) instar Pastoris splendidè vestitum, & pereleganter, ac festivè, modo pastoritio. Refixit me Divina Majestas ipsamet ex cruce, imposuitque suis humeris, tanquam suam oviculam, in specie animæ, quemadmodum illas hic pingunt, atque taliter me induxit in Cœlum, ac præsentavit æterno Patri, dicendo: Pater æterne, hic tibi adfero istam meam oviculam, quæ semper me est sequuta, & comedit mecum ad meam mensam, bibitque ex meo poculo, quam tenerè amo; gerit mea stigmata in pedibus, in manibus, ac latere; aspice sanguinem, quem pro me fudit; obsecro te, ut ipsam agnoscas pro tua, & gratificeris illi. Pater æternus me est intuitus cum maxima charitate & amore, ac respondit: Fili mi, vehementer me certè delectat hæc ovicula, quam mihi offers, & suscipio illam atque agnosco pro mea quàm libentissimè; est gratissima meis oculis. Deinde me Dominus erexit, quia procubueram in genua apud Divinos ipsius pedes, posuitque me quàm affabilissimè ac amantissimè ad brachia Æterni Patris, & intrâ illud Divinum ejus Esse, ibique me complexus est, & mille mihi exhibuit amoris indicia, ubi diu mansi, fruens illis Divinis amplexibus, & favoribus cœlestibus. Quando sum ad me reversa ex hoc raptu, reperi me in meo angulo.

§. V.

Tandem illam est dignatus deducere cum summo honore confixam Cruce, ad locum, ipsi designatum in Cælo. Agens, inquit, aliquando cum DEO, passa sum in meo corpore derepentè gravem dolorem, qui oriebatur ex eo, quòd me sentirem arctissimè circumcingi. Tum, DEO disponente, oculos animæ aspexi, me ipsa, & vidi me cingulo quodam rubro, quamquam coloris lucidi & amœni, fortiter

constringi à duobus Angelis DEI, qui stipabant mea latera, & me habebant mediam, trahebantque singuli extremitatem illius cinguli, cui super nudum corpus, in sinistro latere erat supposita quædam Crux, longitudine adæquans circiter unam spatham, habens insertas quatuorque cuspides seu clavos, in duobus brachijs, supernè, & in medio, ac infernè, cuspidibus directis ad carnem: sic cinctâ, & constrictâ, ut pars Crucis ingrederetur in carnem, magis torquebar & affligebar. Cùm autem me hoc modo constringerent illi sancti Angeli, dicebant mihi: Soror nostra, præpara te, quia te volumus erigere ac ducere, quòd iussit Dominus. Et cùm vellent volentes me erigere, ego præ dolore, quem patiebar, dixi: Non, non, Domini, relinquant me; quia moriar, si me hinc elevaverint. Expectaverunt medicum sancti Angeli, ac tum mihi iterum dixerunt: Soror nostra, noli timere, veni huc, apprehensamque me in utroque latere, quam suavissimè elevaverunt, ac erexerunt quasi in pedes, statimque duxerunt ad cœlestem Jerosolymam, & constituerunt in conspectu Divinæ Majestatis, qui coniectis in me suis Divinis oculis, præteritum verò in insigne Crucis, quæ erat cinctum sinistrum meum latus, præcepit eundem sancto Angelo magnâ prædito charitate, qui ibi aderat, ut me discerneret, & exolveret, acciperetque Crucem, quam ferebam infixam lateri sinistro, ac poneret intrâ illam cœlestem Civitatem in certo loco, designato à Divina Majestate. Fecitque ita Angelus, & postquam mihi Dominus bene precatus fuisset, eidem Angeli me reduxerunt ad meum locum, cumque me ipsam aspicerem in illa parte, in qua fuerat Crux, vidi me habere quinque stigmata, aut vulnuscula, quæ mihi infixæ erant quinque cuspides Crucis, & ipsius clavicali. Hæc visio duravit aliquot diebus cum ingenti dolore naturæ; nescivi tamen an id acciderit in spiritu tantum: quia non adverti, maneretne corpus in loco, in quæram, sicut alias constevi advertere. Vehementer affligebar, & angebar his mysterijs, ignorans quid significarent, & petebam

bam à DEO lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus. Tunc mihi dixit Dominus: Amica, quomodo ita times, & affligeris propter istam gratiam, quam à me es consequuta? Quiesce modò, exponam enim tibi significationem huius mysterij. Dum viderem & cognoscerem desiderium, quo teneris, ut finias cursum tuæ peregrinationis, volui tibi pro tuo solatio præbere aliqua signa & figuras, ex quibus intelligeres, & cognosceres locum tibi designatum, & præparatum in cœlesti Jerosolyma, collocato in ea insigni Crucis instructæ clavis, sicut vidisti. Primum verò fuit ea Crux alligata tuo sinistro lateri, cum tanto dolore ac molestia tua, ut intelligatur ac sciatur, ad inveniendum locum, & habitationem in illa cœlesti Civitate, ac terra viventium, Viam Crucis, afflictionum, dolorum, & molestiarum, esse Regiam & severissimam, ac propterea, etiamsi te sim consolaturus, tibi que satisfactorius, quod à me petivisti, concedendo tibi mortem suavem, & plenam solatio, atque ita sis finitura vitam, ac migratura ex hoc exilio in meis brachijs; tamen animadvertite, te paulò ante tuum obitum passuram tentationes, & oppugnationes diaboli, qui te affiget ac stringet pro viribus, me permittente. Sed noli timere, confide in me, quia cum mea gratia, & auxilio, tibi omnia bene succedent, & diabolus confundetur, atque tum occludetur tuum cor, ac adveniet solatium tuæ beatæ mortis, quando expirabis in meis brachijs, & in meo corde, hoc enim est præmium eorum, qui moriuntur in Domino.

Aliâ vice ipsi DEUS ostendit eundem locum, quem destinatum habebat in Cælo, hæc

visione. Vidi, inquit (in Julio anni 1620.) coram me quandam puellam, cujus mediæ corpus superius Angeli induerant lucidissimis armis, & in medio pectoris gerebat rubram Crucem. Cooperuerunt illam Angeli pretioso pallio, & capiti ipsius imposuerunt coronam, atque manui sceptrum, & hoc modo ornatam duxerunt cum magno comitatu ad Cælum. Quando erat jam ingressura, prodierunt obviam multi Angeli ad eam excipiendam, duxeruntque ipsam ad quendam locum, valde eminentem Aulæ cœlestis. Tenebar desiderio interrogandi meos Angelos, qualisnam esset illa puella; qui dixerunt: Est quædam Virgo, nè velis amplius scire. Paulo post interrogavi Dominum: Mi Domine, quæ est ista Virgo? Responditque mihi: Jam tibi dixerunt Angeli: nè velis scire amplius. Hoc audito, acquievi. Aliquantò tamen post dixit Dominus: Si vis scire, quæ sit, veni mecum, & videbis. Tum me abreptam in ecstasim, duxit ad locum, in quo erat ea Virgo, dixitque mihi: Aspice illam, an eam noveris. Aspexi ipsam, & non agnovi. Dixit mihi idem secundo, & non agnovi illam. Dixit mihi hoc tertio, & cum ipsam contemplerer, illuminavit me Dominus, ut adverterem, quòd essem ego ipsa. Erubui, & indolui, quòd desideravissim scire quænam esset, & conquesta Domino ajebam illi, quare mihi ostendisset eam effigiem? Et dixit mihi: Affligeris vehementer tuis doloribus, ut igitur te solarer, ostendi tibi, quid te maneat. Tum subito valde festinavi, ut quodammodo aufugerem, ac reverterer ad meum angulum.

☉* * * ☉



T t

CAPVT

CAPVT XVIII.

Quomodo illi DEUS modis prorsus miris ostenderit, Crucem esse viam Regiam, pro introitu in cœlestem Gloriam, quâ ipse in illam intravit, & quam pauci ipsam amplectantur, illumque cum ea sequantur.



Equæ Revelationes sunt utilissima, concernunt enim omnes universim, dum declamant felicem sortem Justorum, qui Regiâ viâ Sanctæ Crucis tendunt ad cœlestem gloriam.

§. I.

Imprimis, ait, quodam die (in Augusto anni 1623.) mihi Dominus exhibuit spectandam maximam Crucem, quæ cœlum attingebat vertice, & pede ad centrum usque descendebat terræ, brachia verò protendebat ad duas ejusdem Cœli partes. Exterruit me vehementer hic aspectus Crucis tam magnæ; verùm fui non nihil recreata, dum intelligerem à Domino, quòd esset figura terribilis Crucis, quam Divina ipsius Majestas sustinuerat in sua Passione & Morte. Subitò vidi istam Crucem ascendentem super terram, fixo in illa pede, ac descendentem aliquantum ex Cœlo, & in momento fuit repleta multis animab⁹ gloriosis, ac beatis, quales hîc illas pingunt, quibus Crux magnificentissimè est exornata. Interea eadem Crux ascendit à terra, ac pervenit usque ad portam Cœli, & per illam sunt ingressæ in cœlestem Aulam adhaerentes ipsi omnes illæ animæ, quasi repentes per Crucem. Atque deinde etiam ego fui posita ad illam Crucem, jam vacuum, ascenditque per ipsam mea anima cum maxima molestia, & summis angustijs, donec intraret in Cœlum, & ad conspectum DEI. Fuit mihi dictum, Crucem esse viam Regiam pro adeunda cœlesti Beatitudine, & omnes, qui illam sunt assequuturi, inniti debere Cruci, & Morti, ac Passioni Christi JESU Domini

Nostri, eamque obtinere per ipsius Divina merita.

§. II.

In Festo Purificatæ Beatissimæ Virginis, conspexi ex improvîso quandam Crucem aliquantum fuscam, tam magnam, ut extensa in terra, suis brachijs pertingeret ad quatuor partes Orbis. Ego me ibi vidi quasi retrusam in angulum, & acclavatam in angulo Crucis, tibi conjunguntur ipsius brachia, atque circumdatam coronâ spineâ. Descendebant Angeli DEI ex cœlo, qui venerabantur ac adorabant Crucem quàm devotissimè. Mirabar vehementer, videndo hoc mysterium, & quidem in festo Beatissimæ Virginis, ipsiusque Purificationis. Subitò animadverti istam Crucem, itâ extensam, meque unâ illustratam, elevari à Domino usque ad Cœlum inferiùs, quod hîc videmus: fui autem portata similiter, quasi acclavata in eodem loco, in quo fueram antea. Postquam Crux pervenisset, vidi ab illa penetrari omnes Cœlos, donec ingrederetur in Empyrium, ad conspectum Beatissimæ Trinitatis; & dum ibi esset, unâque ego cum ipsa, incepit paulatim resplendere millies magis auro, ac emittere ex se radios lucis & claritatis, itâ ut videretur ab ea Crucem illuminari Cœlum, sicut Sol hîc illuminat terram; atque hoc modo tota Crux fuit conversa in lucem & splendorem. Par ratione ego incepi cum eadem Crucem resplendere, sicut quando ignis pervadit ferum: usque adeo me lux & claritas Crucis illustravit. Omnes sancti Beati ex novo ac veteri Testamento adoraverunt Crucem, confitentes & agnoscentes omnem suam beatitudinem se habere, per merita ac obolores, à Christo Domino toleratos in Cru-

ce. Finito hoc mysterio remansi in cœlesti Aula, vehementer stupens, quòd talia viderem.

Postquã ad me rediissem ex ista ecstasi, meus Dominus Angelus Custos mihi dixit: Anima, Dominus tibi explicabit mysterium, quod vidisti, sed etiam ego illud tibi pandam. Scias velim illã Crucem, quam vidisti extensam in terra, quæ tota ab ea occupabatur, significatam fuisse Mortem & Passionem Christi Domini, ipsiusque Divina merita, quæ fuerunt tanta ac tam sufficientia, secundum se, ut, si omnes homines illis vellent bene uti, saluarentur. Quòd autem ascenderit ad Cœlum, significabat, à DEO per suum Filium creata esse uniuersa, tam Cœlestia, quàm terrestria, perq; ipsum, & per ejus Crucem obtineri Beatitudinem, & ipsam esse viam Regiam ad Cœlum. Quòd deinde ex fuscò colore transmutata fuerit in lucem, ac splendorem, & claritatem, significat, in Cœlo non reperiri Crucem, sed Gloriam, ac Beatitudinem, atque illud, quod in hac terra est obscurum & afflictivum, in Cœlo esse meram claritatem & gloriam. Neq; tibi videatur inconueniens, quòd in Festo Purificatæ Sanctissimæ Virginis edocta fueris de hoc mysterio; noveris enim, isto die fuisse Beatissimæ Virgini revelatam Mortem ac Passionem sanctissimi ipsius Filij per sanctum Simeonem, illis verbis: *Et tuam ipsius animam pertimescit gladius*. DEI Genitrix autem in eo momento elicit actum resignationis, committens suum Filium Divinæ voluntati, qui fuit unus ex maximis & ferventissimis, quos per omnem suam vitam elicit, dum offerret vitam sui Filij sanctissimo ejus Patri: & exinde incepit sanctissima Domina pati Crucem sacratissimi Filij intra se ipsam, atque in sua sanctissima anima. Propter istud mei sancti Angeli dictum, cepi ingens solatium ex hoc mysterio Crucis: sed ita fui debilitata, ut postridie sim passã graves dolores, fuerinque tam afflicta, ut opportuerit mihi applicare aliqua medicamenta: quale fuit, dum mihi apponerentur panni suffumigati quibusdam herbis, quas præscripserat Medicus. Qui quidem odor mihi fuit

valde molestus; sed interea sensi quendam odorem in meo cubiculo vehementem & suavem liliorum, qui me recreavit, & mirè confortavit. Tum dixi intra me: Bone DEUS, qualis est iste odor? reddiderat enim me attonitam, eò quòd illum perciperem tali tempore, essetque adeò sensibilibis, ut ipsum reverà olfecerim. Elevavi oculos, & vidi meum sanctum Angelum, *parvum*, tenentem manibus Urceum cum fasciculo liliorum. Obstupui valde, dum illa viderem, & sanctus meus Angelus mihi dixit: Anima, nè te id reddat attonitã, quia Dominus videns, quid sis passã, te hodie voluit recreare, & confortare his floribus.

§. III.

DUm aliquando agerem cum DEO, vidi quandam viam Regiam latissimam & spatiosissimam, jucundissimam, ac floridissimam, in qua mihi videbar animadvertere præsentem DEUM. Eandem viam terminabat mons altissimus, & fastigiatus, in cujus planitie erat gloria Agni DEI, & Beatitudo. Hãc tam admirabili viã vidi, non absque mysterio, incedentes quàm ordinatissimè, more supplicantium, quosdam Pœnitentes, indutos nigris tunicis, qui singuli ferebant in suis humeris grandem & gravem Crucem, adeò ut ambularent lassissimi, contrafactissimi, & fatiscetes. Hoc modo perveniebant ad finem istius viæ, atque ad radicem illius alti montis, ubi stabant duo Angeli, qui accedentes ordine deponebant singulorum Cruces ex eorum humeris, magna cum charitate & amore; iisque humi cum osculo collocatis, exuebant Pœnitentem veste nigrã, & extergebant sudorem ejus facie, ac deinde ipsum induebant veste candidã instar nivis, ac splendidã, imponebantque illius capiti coronam. Postmodum ipsum tradebant quibusdam Angelis DEI, qui sanctum Pœnitentem cum magno ejusdem solatio ducebant, ac promovebant per illum altum montem, quoadusque pertingerent ad verticem, ubi animæ eorum quiescebant, & replebantur gloriã ac beatitudine, per visionem sui DEI.

Taliter progrediebantur, & ascendebant omnes isti felices Pœnitentes; quod meâ animam affecit stupore, rapuitque extrâ se. Subitò autem illi dixit Dominus: Anima, vidistine quid actum fuerit? intellexistine mysterium? Noveris, illos, qui sustinent Crucem, quemadmodum ijs, quos vidisti, feruntque illam in suis humeris, & non trahunt per terram, incedere viâ Regiâ, ac semitâ, cujus terminus est vertex & mons altus beatitudinis, ubi sese intuendum præbet DEUS, & videtur facie ad faciem. Hæc est securissima ac verissima via; & hoc tibi volo manifestare in isto mysterio.

§. I V.

Verùm licet multi amore Christi Domini amplectantur Crucem, dignatus est illi aliâ vice ostendere, quàm sint pauci, comparati cum ijs, à quibus rejicitur, sicut ipsi prius ostenderat, quàm pauci ascendant per arduas scalas ad Cælum. Quodam, inquit, die (in Martio anni 1622) Quadragesimæ, horâ tertiâ matutinâ, exhibuit Dominus oculis meâ animæ admirabile spectaculû. Conspexi Christum Dominum, onustum Cruce, & conscendentem quosdam gradus à terra porrectos ad Cælum, unaque sanctum Franciscum cum alia Cruce, qui ipsum sequebatur. Et tota via, quâ ibant, erat utrinque repleta splendidissimis Crucibus. Abstrahebam me ab hac visione, quantum potui, quasi metuens, nè esset figmentum imaginationis, vel diaboli, id quod egi spatio circiter septem horarum: quò magis autem me abstrahebam, eò illam magis Dominus ponebat ob oculos meâ animæ. Cùm essem fatigata relutendo, meque jam abstraxissem, quasi horâ decimâ matutinâ, locutus mihi est Dominus, dixitque: Anima mea, quomodo mecum agis? quoadusque me adeò molestabis, & affliges? Hoc audito, fui quasi attonita, & postquam sum mihi reddita, acsi essem expergefata è somno, respondi Domino: Domine, ego quid ago? quid feci? videtur mihi Domine illudere meâ imaginatio, quia tua Majestas non

indiguit Cruce, ut ascenderet ad Cælum; es enim verus DEUS, Filius æterni Patris, & omnia tibi debentur, etiam ut es homo, ex justitia. Tum mihi Dominus respondit: Omnino, verum est quidem, quod dicis, sed jam scis, me descendisse ex Cælo ad terram propter remedium & salutem hominum, atque ut solverem, quod illi debebant pro suis peccatis; suscepisse in me, acsi essent mea propria, ipsorum peccata, eorundemque onus mihi impositum, quasi ego illa commisissem, & propterea, ascendisse ex terra ad cælum per Crucem. Aspice me, aperi tuos oculos, & videbis me. Aspexi Dominum, quem eatenus tantum audiveram loquentem, vidique ipsum tam vulneratum & afflictum, ac doloribus oppressum, ut me ejus conspectus moverit ad magnam tenentudinem, ac dolorem & commiserationem. Adiecit autem Dominus: Quod me maxime affligit, est: respectu tam multorum, qui damnantur, unicum esse, qui me sequitur, quod vides, fieri ab uno Francisco. Nolebat Dominus dicere, quòd solus sanctus Franciscus ipsum sequeretur, sed proposuit in illo exemplum, ac dixit, tot esse, qui damnantur, ut comparati cum tam multis, unicus duntaxat videatur salvari. Hæc omnia mihi loquutus est Dominus, cùm jam mihi esset quam vicinissimus, quia initio ipsum videram quasi éminus. Obstupui, & fui attonita, audiens Dominum sic loquentem, valdeque indolui, & sum afflicta propter tam multos, qui damnantur. Insistitque me Dominus orare DEUM pro peccatoribus, ut bene utantur ipsius Morte ac Passionè. Hujus mysterij memoriam aliquandiu retinui. Postea me ab illo abstraxi, & cùm jam essem ipsius oblita, vehementer me poenituit hujus abstractionis, ac dixi: Non erat istud mysterium à me tradendû oblivioni totâ vitâ; sed semper habendum ante oculos: quomodo sum illius oblita? Dominus autem mihi dixit: Nè te id reddat sollicitam, meâ Anima. Noveris, quòd tibi verè dico, unicam mei memoriam in ijs, qui me amant, ac desiderant mihi servire, quamvis eam habeant interruptè, à me magni fieri, acceptarique il-

lam, etiam si præter suam voluntatem distrahantur.

§. V.

Alia formidabilis visio confirmat, quod Dominus dixerat in precedenti, plerisque, videlicet auersari Crucem, & paucos illam amplecti. Dum, inquit, aliquando manè agerem cum DEO, elevavi oculos animæ, & vidi supra regionem aëris, Cælum versus, multos Angelos DEI, qui omnes tenebant aureas cruces splendidissimas in suis manibus, quas erigebant instar vexillorum cum magna solennitate & lætitia. Arque in eo spatio, in quo commeabant, erat ingens lux, & splendor Divinus, quasi magni cujusdam Solis, emittentis ex se maximos radios. Obstupui, viso eo mysterio, & abstraxi me ab ipso, mansique cum Domino. Post hoc denuò illud sum intuita, non enim possum aliter facere, quando vult Divina Majestas; & vidi à quinque ex ijs sanctis Angelis deferri totidem Cruces huic ad terram: quarum quatuor defixerunt in diversis ejus regionibus, quintam verò in mari. Unam, & primam ex ipsis defixit Angelus, qui illam attulerat in quadam terra Catholicorum, quam non agnovi, qualis esset; eaque ibi infixà perambulavit quàm sollicitissimè totam regionem, atque spatiosos campos, quærens aliquem, qui adoraret, & amplecteretur illam Crucem. Ibat modò huic, modò illuc, totus sollicitus, invitans hos & illos, cumque non reperiret, qui ipsam amplecteretur, sanctus Angelus præferens quasi tristitiam, & afflictionem, evulsit Crucem ex loco, in quo fixa fuerat, & eam sublatà perrexit ad Cælum, præsentavitque illam Domino DEO, ac dixit ipsi: Domine, vides hinc Crucem, quam Tua Majestas mihi commisit. Non invenio inter homines, qui illam velit, aut amplectatur. Quid jubet Tua Majestas fieri? Dominus vehementer offensus, ità respondit: Ergone nemo est, qui amplectatur, aut adoret meam Crucem? & tamen verè tibi dico, omnes illos, qui non amplectentur Crucem, quàm ego illis dederò, ac obtulero, non intratu-

ros in regnum cœlorum. Vade, repone illam in meo thesauro. Angelus id fecit, & sic mansit in Cælo.

Secundus Angelus defixit Crucem in alia parte terræ, etiam Catholicorum, & amplexatus est illam, ac deinde ivit quæsitum quàm diligentissimè, qui amplecteretur ipsius Crucem. Occurrit cuidam viro plebejo, pauperi, qui videbatur Eremita & agricola quoad vestitum, bonus Christianus, ac timens DEUM: hic deambulabat in campo, quasi aliquid quærens, & Angelus illi dixit: Serve DEI, quò vadis, quid quæris? Eremita respondit: Angele DEI, quæro thesaurum absconditum in agro, quem inveniens homo prudens, vendidit omnia, quæ habuit, & emit illi. Cui Angelus: Veni mecum, ego enim tibi indicabo hunc thesaurum pretiosum, quem quæris, & duxit ipsum eò, ubi erat Crux, dixitque illi: Videsne hunc thesaurum absconditum, qui ditat animas, ac perducit ad vitam æternam? eo enim emitur, atque ille solummodo invenit suum infinitum & immensum DEUM, qui invenit istum thesaurum, ac amplectitur, & in ipso reperit omnia bona pariter. Tum Eremita prostratus adoravit Crucem, amplexatusque est illam quàm promptissimè, cum magno gaudio, & solatio. Angelus autem ipsam imposuit ejus humeris, in qua etiam ferenda illum juvit, supponens ipsi manum, atque hoc modo illam tulit ad suum paupertinum tugurium, ubi ei fuit ab Angelo dictum: Ego tecum manebo usque ad finem vitæ tuæ, juvaboque te semper in omnibus occasionibus portare crucem, quamcunque tibi DEUS obtulerit.

Vidi deinde tertium Angelum, qui defixerat suam Crucem in terra, & illam amplexabatur, atque muliercula quædam pia & pauper obambulabat in campo valdè anxia, ac fessà, expansis brachijs aliquid quærendo. Interrogavit illam Angelus: Serva DEI, quid quæris tam anxie? & sancta mulier respondit: Angele DEI, quæro viam regiam ad Beatitudinem, viam planam & securam ad inveniendum meum DEUM. Cui Angelus: Ego tibi illam ostendi-

ostendam; aspice istam Crucem. Hæc est via Regia ad Beatitudinem, ipsa est via planissima, securissima ad cælum; nemo in illa perijt. Per eam & in ea invenies tuum DEUM, ac omne tuum bonum. Mulier adoravit, & amplexata est crucem; Angelus verò illam superimpofuit ejus humeris, & juvit ipsam in illa ferenda, comitatusque est ad pauperem illius domum, quæ videbatur esse tugurium, ibique ipsi dixit: Ego tecum manebo omnibus diebus vitæ tuæ, & juvabo te in portandis Crucibus, quas tibi Dominus obtulerit.

Quartus Angelus defixit suam Crucem in alia regione terræ, & amplexatus est illam, atque interea vidit ambulante quendam Virum nobilem in eo campo, valde cogitandum, & quasi aliquid quærentem. Angelus DEI illi ivit obviam, & interrogavit ipsum: Nobilis, Serve DEI, quid quæris adeò cogitabundus? Nobilis respondit: Angele DEI, quæro thesaurum a imæ, quæro pacem & securitatem. O quanta bona quæris, dixit Angelus! Veni mecum, ego tibi ostendam omnia simul; & duxit illum ad Crucem, dixitque ipsi: Aspice, ista Crux est verus thesaurus animæ, in illa sunt omnia simul bona: qui hanc amplectitur, & amat, ac vult, possidet veram pacem, & in ea reperitur vera securitas. Omnes, qui istam Crucem sunt amplexi, regnant cum DEO in cælo, & absque illa nihil est securum. Nobilis se prostravit, & adoravit Crucem, amplexatusque est ipsam, & assumpsit in sponsam ac amicam: & Angelus illam imposuit ejus humeris, juvansque ipsum in ea portanda, duxit illum ad ipsius domum, & dixit illi: Ego tecum manebo quoad usque vixeris, & juvabo te portare Cruces, quas tibi Dominus obtulerit. Quintus Angelus fixit suam Crucem admirabiliter in mari, amplexatusque est illam, & perlustravit usquequaque mare, reperireturne, qui vellet amplecti Crucem; & cum omnes navigantes viderent Crucem, eaque terrentur, retrocedebant; alij verò ipsam declinabant. Expectavit diu, & videns neminem venire, extraxit suam Crucem ex aqua, ivitque cum illa ad cælum, & præ-

sentavit ipsam Domino, dicendo: DEUS & Domine mi, nemo est, qui amplectatur tuam Crucem in mari. Dominus mansuetè respondit: Nemo? id ego non miror, nec est res tanta, quia Creatura illa aquæ est valde terribilis ac formidabilis. In ea perduntur vitæ, & facultates, atque in ipsa tolerantur enormes calamitates, ac molestiæ, unde non obstupesco, quòd navigantes averfentur Crucem. Redi illuc, & exhibe illis aliam Crucem leviozem, ac suaviozem, videbisque an reperiatur, qui illam amplectatur. Angelus fecit, quòd erat à Domino justus, formavitque Crucem coloris cælestis cærulei, facilem ac levem, & erexit illam in mari. Tum venerunt quidam Viatores, videntesque Crucem suaviozem & leviozem, obtulerunt se pro ea ferenda, & complexi sunt ipsam. Sanctus Angelus illam posuit super eorum humeros, promisitque illis suum auxilium, atque sic fuit finitum hoc mysterium.

Quando ista famula DEI mihi retulit hanc visionem, dixi illi: Si prima Crux fuit tam terribilis, ut propter illius terribilitatem nullus illam voluerit, quomodo DEUS non mandavit Angelo, ut ibi collocaret aliam suaviozem, sicut fecit cum ultima ista Cruce, qua fuit collocata in mari; addiditque, ut super hoc conferret cum sanctis Angelis, qui ipsi cohabitavit, dat à occasione. Hi verò denique illi responderunt: Illam Crucem fuisse admirabilem, non rigidam, neque admodum gravem portatu; verum magnopere accommodatam viribus cujuslibet creature, volenti illam portare, & amplecti, id quod ipsi plurimum prodesset, quia DEUS illi dedit omnem istam dispositionem, & bonum valorem: ideòque quòd Angelus non invenit, qui illam voluisset, & fuisse amplectatus, in toto illo tam magno territorio, provenisse ex mala dispositione, & quòd non cognosceretur valor ejus thesauri: ac propterea singulos perceptà inspiratione sui Angelus, qui illis dicebat, ut amplecterentur Crucem, quam DEUS sua bonitate, & pro bonitatem animarum propriarum ipsi offererat, ipsos versatos esse Crucem, instar ignis, ac reprobos esse: & hujusmodi hominibus Dominum fuisse indignatum.

Deniq.

Denique, ut non abhorreret à Cruce, voluit illi DEUS ostendere in spiritu eam ipsam sanctissimam Crucem, cui fuit affixus.

Dum, inquit, vacarem orationi, vider quaterve quandam grandem Crucem, & magnæ Majestatis, cumque metuerem, nè esset imaginatio, comparuit mihi illa sancta Crux majori cum lumine & claritate, quâ anima mea fuit illustrata, ut eam agnoscerem; aspiciensque illam, ac videns majestatem, quâ erat conspicua, adoravi ipsam, quàm maximâ reverentiâ potui. Erat tanta, quantam esse oportuit, ut illi affigeretur Christus Dominus nõster, ita ut superesset aliqua ipsius pars à pedibus. Infernè habuit colorem quasi fuscum, mixtum nonnihil viridi, & in brachijs erant foramina clavorum, in summitate verò ipsius erat Corona spinea Christi Domini. Tanta fuit Majestas istius Cru-

cis, ut illam nemo videret, qui non contremisceret, seque coram ea non prosterneret, adorando ipsam quàm reverentissimè. Postquàm illam vidissem, adoravissem, fuissè que toto meo venerata corde, conspexi plurimos diabolos ibi latentes in quadam abyssò, qui videntes Majestatem hujus sanctæ Crucis, timebant, ac tremebant, descendebantque profundius in suum barathrum. Et illuminata à DEO, intellexi, eam sacram Crucem esse illam ipsam, in qua Christus Dominus est mortuus, nosque redemit, & liberavit à diabolo. Mea anima fuit repleta solatio, ac devotivè erga sanctam Crucem, atque per illam armata pro tribulationibus & afflictionibus, quæ mihi paulò post advenerunt, quia in hunc finem intellexi, mihi fuisse præstitam eam misericordiam.

*)***(*)

CAPUT XIX.

Quomodo illam DEUS animaverit ad tolerandas molestias Crucis, eò quòd sint medium pro obtinendis gratijs inusitatis, quas ipsi præstabat, & pro augendis meritis æternæ gloriæ.

Duplicem DEUS confert Beatitudinem suis Electis, unam æternam & consummatam, alteram temporalem, quæ est participatio æterna, consistitque magna ex parte in visionibus & unionibus cum DEO, quales fuerunt hæcenus narrate. Crux est via ad utramque, quia afflictiones disponunt ad posteriorem, & promerentur cum magnis incrementis priorem. Utrumque DEUS manifestavit Marina, ut illam animaret ad patiendum; eò quòd utrumque sit premium earundem afflictionum, ideoque illi DEUS genentim asseremur: Quotiescunque aliquid speciale fueris passa, par est, ut novam quampiam tibi præstem gratiam. Veritas horum omnium patebit ex sequentibus visionibus, quarum singule con-

tinent peculiare motivum ad amandam Crucem.

§. I.

Crux est medium ad unionem cum DEO.

CUm quodam die vehementer essem internè afflicta, dixit mihi DEUS: Quid facis Creatura mea? Visne venire mecum, ut quiescas modicum? Ità, mi Domine, & DEUS mi, ajebam ego: tecum volo ire, & manere in te perpetuò. Quod dicens elevavi oculos, & vidi Majestatem Divinam, unaque ipsius Immensitatem & Magnitudinem, absque ulla specie, vel figura. Habebat iste magnus Dominus quasi ante se quandam grandem & elegantem Crucem, ex purissimo & splendidissimo auro, quæ tota antèrius erat plena.

na quibusdam cuspidibus, non usque adeo longis, sed quàm acutissimis, ex fortissimo ac solidissimo efformatis chalybe. Dixitque mihi Dominus: Anima, tu dicis magno affectu, quòd velis venire mecum; Veni igitur, per me licet: Verum tamen moneo te, esse tibi, ut ad me pervenias, meque amplectaris, uti desideras, transeundam istam Crucem, quam hìc vides ante me, ita refertam cuspidibus acutis, solidis & penetrativis, teque illis omnibus vulnerandam & confingendam, ac debere ad me pervenire ipsi penetratis. Considera, an id velis hoc pacto: ista enim est via, recta & Regia, ut animæ ad me perveniant, fruanturque in hac vita meis unionibus ac amplexibus, & assequantur scientiam meorum mysteriorum, ac secretorum; in æterna verò potiantur meis gaudijs duraturis, atque æternâ possessione sui DEI. Quid ad hoc dicis? Mea anima vehementer obstupuit, audiens taliter loquentem suum DEUM, videbaturque consternari ac timere, inspecto adeo duro & aspero transitu, atque formidabili terribilitate illius Crucis armatæ suis cuspidibus; verum præ magna aviditate, & vehementi ac intimo affectu, quæ habebat, transeundi ad suum DEUM, illumque cõplectendi, statim dixit suo DEO, se velle. Et in momento se accinxit, ac transivit omnes illas cuspides tam acutas, & illam duram ac arduam Crucem. Et complexa est suum DEUM, seque cum eo arctè univit, ac mansit in illo Divino Essè, ubi est fruita, pro sua capacitate, & quoad se illi Dominus DEUS ipsius communicavit, ijs ingentibus bonis, summisque thesauris, quos viderat, & cognoverat. Ibi mea anima est diu morata, tam absorpta & abrepta, ut videretur non posse ullibi figere pedem, dicebaturque illi DEUS ejus aliquoties, patefaciendo ipsi admiranda: Considera hoc anima, considera. Post istum raptum, sensim illam, quasi per quandam declivitatem deduxit, reliquitque coram se modo ordinario constitutam.



§. II.

Cruce disponit ad arduos affectus amoris, ac unionis cum tribus Divinis Personis.

ALIAS (in Octobri anni 1619.) mihi DEUS exhibuit spectandas multas aureas Cruces splendidissimas, parvas, adæquantur palmum, pendentes in aere, ex re quadam delicata instar capilli, nec apparebat, quis illas sustentaret. Ultra unam horam conabar ab ijs avertere oculos, postea verò mihi dixit Dominus: Marina, quare usque adeo tergiversaris? accipe pro te has Cruces; non enim erunt moleste corpori, neque spiritui. Tum quasi abrepta in spiritu extendi brachia, & inceptas quas ex ijs Crucibus apprehendere, inferendo mihi quodammodo vim, ut illas acciperem. Et quando ipsas accipiebam, vidi singulas ita pendentes teneri à singulis Angelis. Sumpserim sex vel septem ad quamvis manum, quas cœpi disfluviari, & amplexari arctissimè, fuitque subito excitatus in meo corde vehementissimus affectus amoris DEI, ut si mille mundi essent mei, omnes ipsi libenter donarem. Expendi deinde afflictiones, quas patiebar, ut viderem, utrum me illi eodem modo etiam offerrem ad mille Martyria, & sensim nonnihil repugnantia; quod me valde afflixit, nolebam enim illam sentire. Sed dixit mihi Dominus: Nè id agere feras, habes enim tuam voluntatem transfusam in meam, quod sufficit, quòdque ego à te requiro. Tunc mihi dixerunt sancti Angeli: Soror, da nobis has Cruces, ut illas tibi servemus; quibus ego respondi: Hoc non, Domini. Dixitque mihi Angelus Custos: Et mihi illas non dabis? Tibi, omnino Domine, quia tu es meum gazophylacium, in quo Dominus etiam reliqua deposuit. Statim itaque illas à me accipit, & ego specialiter illuminata, vidi duos. Primum id, quod illæ Cruces representabant; & erat, quomodo anima, dum patitur, se disponat ad obtinendos arduos affectus amoris DEI, & alia ipsius dona. Alterum verò, quòd mihi fuerit manifesta excel-

excellencia Spiritus Angelici, sine ea specie imaginaria, in qua mihi ordinariè compareret, atque sic vidi admirabilem illius essentiam ac præstantiam.

Eo tempore, conspexi gloriosos sanctos Ignatium & Dominicum, qui infernè sustinebant quandam metliocrem Crucem. Feci, quod potui, nè illam aspicerem, donec me ad id Dominus disposuisset, & quasi adegisset. Dum illos intuerer, vidi in Cruce effigiem Christi Domini ex ea pendens, & dixi, timens meo more: Effigie Christi Domini, ut est ipse effigies, ego adoro. Mei verò sancti Angeli, ut abigerent hunc meum timorem, prosternentes se, illam adoraverunt, quod ter fecerunt; & adverti imaginem esse auream. Ego me semper abstrahebam à Sanctis, quos vidi euntes ad Dominum, referentesque ipsi, quod mecum evenerat, propter meam repugnantiam. Dominus illos iussit redire, mihi que aliquid significare: quidnam autem fuerit, non intellexi. Redierunt, & cum mihi id cœpissent dicere, sum majorem in modum turbata, fecique quantum potui, nè, quod dicebant, audirem. Interea fui abrepta ad conspectum sanctissimæ Trinitatis, & Dominus mihi dixit: Modò videbis, quid significet prius mysterium. Subitò me conspexi in brachijs æterni Patris, qui me arcè strinxit unione spiritali: & sensi dolorem, atque vulnera pedum & manuum, ac lateris, fuerunt quasi sanguine perfusa. Postquam me dimisit Pater, vidi me in manibus Filij, qui me eodem modo strinxit, & percepi majorem dolorem, plus quoque sanguinis apparuit in meis vulneribus: ac deinde vidi Personam Spiritus sancti, in specie lucidissimi Solis, qui me totam illustravit, & recreavit, atque confortavit post illam molestiam & afflictionem.

§. III.

Aque afflictionum, & meritorum, ac solationum, oriuntur ex uno, eodemque fonte.

Dum quâdam nocte agerè cum Domino (in Octobri anni 1617.) valde afflicta, manifestavit mihi mysterium san-

ctissimæ Trinitatis, & vidi ex pectore Patris æterni erumpentem torrentem aquæ adeò horribilem, ut mihi incuteret terrorem, qui ruit in meum pectus, seque mihi infudit, unde fui vehementer consternata. Deinde vidi prodeuntem aliam aquam, manantem suavius, quæ post præcedentem influxit in meum pectus, meque affecit solatio, ac recreavit. Et est mihi dictum, priorem aquam esse afflictionum, quas patiebar, prodeuntes ex pectore Dei, & advenientes ex ejusdem dispositione ac amore: posteriorem autem aquam, esse merita, præmia, & solatia, quæ adferunt istæ afflictiones, semperque illas procedere æqualiter, ita ut posterior confortet ad suscipiendam priorem.

Similiter me solatus est Dominus aliquando (in Junio anni 1217.) dum essem solito afflictior ob meos dolores, dicendo mihi: vehementer me tui miseret, propter ea, quæ pateris; sed si videres aliquem fodientem cum magno labore, sudore, ac defatigatione unâ horâ in fodina, ex qua esset eruturus thesaurum, quo ditaretur ad multos vitæ annos, quibus esset supervicturus, non liberares ipsum ab illa molestia: idcirco neque ego te libero à tua, tamen si possem. Præterea mihi dixit, se velle ut omninò conscribatur, quantum fuerim passâ ijs annis, quibus sum affixa lecto.

§. IV.

DEUS adest ijs, qui patiuntur afflictiones, & his ipsos purificat, ac adornat.

Aliâ vice, postquam octo horis fuisset passa terribile Martyrium, ita ut non possem respirare, neque vel modicum quiescere, quasi conciderer novaculis, nocte sequenti me dignatus est Dominus visitare, cui dixi: Domine, quale tormentum fuit istud? Responditque mihi: ego accendi ignem in tuum commodum, sed dæmon egit partes feminæ irritantis ligna in furno, ut ardeant. Non vidisti tamen illum, nè nimium affligereris: sicut quando cooperiuntur oculi alicui, qui capite plectitur, nè videat gladium. Tum illi dixi: Domine, hâc nocte vellem esse apud

te, siquidem non potui præteritâ. Et respondit mihi: Quomodo dicis, te non fuisse apud me, cum semper me invocaveris? Ego tibi aderam, & compatiebar tuis afflictionibus; atque designans suas manus dixit: In his manibus illas habeo descriptas, simulq; præmia, quibus te remunerabor. Brevi pro te veniam, esto bono animo. Dixi illi: Domine, quæso, nè in morte patiar tam terribiles dolores, quia me non permetterent, ut me præpararé, etiãsi meus Confessarius mihi dixerit, se non petere ullum certum mortis modum, sed eum, qui DEO placuerit, cum ipse sciat, quis illi magis conveniat. Respondit: Iste spiritus est bonus, sed tuus mihi non displicet.

Subitò conspexi meam animam quasi in manibus DEI, ubi mihi suo lumine manifestavit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & subjunxit: Attolle oculos ad Cælum, ac perlustra uno intuitu Aulam meorum Beatorum, videbisque Tribunal meæ Sapientiæ, & Justitiæ, ac meorum Arcanorum. Feci id cum ingenti meo solatio.

In alia afflictione dixi ad DEUM, cum vehementi prorsusque insolito sensu doloris, quasi amicabiliter conquerendo: Revera, mi Domine, istis diebus me Tua Majestas reliquit in magna obscuritate, & præter morem, se conspectui meo subduxit. Etiam si verò me permittas versari in majoribus tenebris, quàm fuerint Ægyptiacæ, quærere te debeo, quibuscunque modis ac medijs potuero, & scivero. Dominus autem mihi respondit quàm suavissimè, ac amantissimè: Et ego tibi asseveranter dico, mea Anima, futurum, ut me non incipias quærere, & jam me invenias, atq; ego tibi occurram. Deinde subjunxit: Quis te turbavit, Anima mea? quis te afflixit? Cui ego: Nemo, Domine, sed mea peccata me turbant. Tum Dominus: Non sunt, ajebat, tua peccata hujusurbationis causa: verum ego id permisi ad te probandam, & exercendam; quia sicut purum aurum probatur, magisque depuratur in catino, ita virtus in meis probationibus, atque afflictionibus. Ista DEI Benignitas mihi attulit magnam pacem, & quietem animæ. Derepentè autem vidi

Majestatem Christi Domini, stipati sanctis Angelis, qui duobus provolutis in genua, dato illis quasi signo dixit: Accipite hanc vestem, & induite eam illam. Angeli ipsam acceperunt, & me illam induerunt. Erat pulcherrima, habens formam Crucis, & cum mihi imponeretur, sentiebam me accipere quasi quiddam valde molestum. Eram in illa nihilominus tam gratiosa, & ornata, ut me non auderem aspiciere. Erexerunt me in pedes, & postquam me duxissent ad locum, in quo JESUS Christus Dominus noster confidebat in throno, flexis genibus inclinavi caput ad genua Domini, ibique spiritualiter obdormivi, in quo somno mihi fuerunt ostensa tanta Magnalia DEI, ut nequeant explicari. Angeli ter venerunt, volentes me inde abducere, & Dominus ipsis dicebat: Relinquit illam. Primò fui abrepta ad pectus DEI, & ad arcana ipsius Divinitatis ac Trinitatis Personarum, alio quodam admirabiliore modo: postea verò uniens se mecum Dominus, reliquit me in meo loco.

S. V.

Angeli exhibent DEO nostras afflictiones, & conferunt pretiosa dona patientibus.

ALIàs (in Julio anni 1619.) vidi quod mei Domini quatuor Angeli tenerent in manibus quoddam cingulum latum, & longum, cui erant inscripti aliqui characteres, seu certæ figuræ impressæ, quodque omnes ijs contemplandis essent intenti: & quidam lucidissimus Sol multis radiis incidentibus in cingulum ipsis subministrabat lucem, ut illud viderent. Osculati sunt cingulum hi sancti Angeli, unaque meus Custos. Et vidi adeste alium Angelum, qui tenebat in manu pulchram pelvim, in quam meus Custos imposuit cingulum, ita ut cum imponeretur, ederet sonitum. Cingulum istud habebat insertas preciosissimas gemmas, in quibus erant expressæ omnes afflictiones, quas fueram perpessâ, siquidem instar cinguli constringunt meum corpus, quasi quibusdam clavis. Sanctus ille

ille Angelus tulit cingulum ad Cœlum, volando gravissimè & agilissimè, flexisque genibus ante thronum sanctissimæ Trinitatis, & exhibitâ reverentiâ omnibus tribus Divinis Personis, dixit: Domine omnipotens, tuæ Majestati præsentatur hoc cingulum martyriorum, quæ illa Anima sustinuit. Dominus illud aspexit, ac lustravit, & benedixit, plurimumq; sibi in eo complacuit, hæc inquit: Feratur ejus Angelo Custodi, quod ille servabit in thesauro sui pectoris cum cæteris rebus, ut eo die, quo est moritura, ibi omnia appareant, & ipsa recipiat præmium. Angelus, postquam debitè veneratus esset Dominum, redijt ad meum cubiculum, tradiditque cingulum meo Angelo, & significavit illi id, quod ipsi erat dictum à Domino, qui illud suscepit, & servavit, atque recondidit in se ipso.

Alio die (in Julio anni 1617.) mei Domini exornati quàm elegantissimè, dignati sunt & me exornare cimelijs; singuli tenebant in sua manu circulum aureum, intra unum erat Nomen JESU splendidissimum, intra alterum tres clavi conjuncti secundum cuspides, ac divisi capitibus; intra tertium imago Lunæ, & in quarto Sol. Erant hæc cimelia pretiosissima, quibus me Angeli exornaverunt, unde comparui splendidissima. Deinde me illis iterum spoliaverunt, atq; dum desiderarem scire, quid significarent, dixit mihi unus ex ipsis, quod cimelium insignitum Nomine JESU, significaverit, me esse totam Domini JESU; illud, in quo erant clavi, afflictiones ac dolores, quos eram passa; Luna verò, mea opera, ut sunt mea: Solem enim significavisse eadem opera, ut profecta ex gratia DEI, quam mihi contulerat. Sicut namque Luna est ex se obscura, & totum lumen accipit à Sole, ita mea opera nihil valent, nisi valorem accipiant à gratia, & à DEO, qui illa facit valere, ac esse meritoria.



§. VI.

DEVS distrahit afflictos, ut minus sentiant adversa.

Alia vice me duxit post se Dominus, quasi adhærentem uni extremitati vestis. Venimus ad quendam parvum campum, plenum floribus diversorum colorum, ubi mihi dixit: Decerpe aliquos ex his floribus, ac offer mihi illos. Decerpsi quinque. Et dixit: sufficit. Tum eos flexis genibus ipsi obtuli, quos ille benedixit, & accepit ad suam manum. Progressus sum ulterius, ascendendo per maximum, & asperissimum montem. In media via stetimus, in quadam planitie, & hic ajebat: Aspice deorsum. Vidi planitiem instar paradisi, atque nemus amœnissimum, resonans suavissimâ musicâ Angelorum. Duxit me per arcuam semitam ad cacumen illius montis, qui erat altissimus; me incedente ex parte cum periculo lapsus. Dixit autem mihi Dominus: Noli timere, dum venis mecum. In vertice se transfiguravit cum summa gloria, ascenditque paulatim ad cœlum, me inspectante, donec se intus oclcluderet. Mansi diu sola, & afflictâ. Venitq; meus Angelus Custos, & alius ex quatuor, qui me animantes dixerunt: Ulterius adhuc tibi ambulandum superest, oportet te descendere per hunc montem ex altera ista parte, quæ imminabat vasto cuidam fluvio, & erat difficillimus per illam descensus. Descendebam tamen, & quando eram vicina lapsui, illi me detinebant. Cùm pervenissem ad crepidinem fluvij, reliquerunt me. Fluvius exerevit, & corripuit me; assurgebant fluctus, & unus valde magnus ac altus me sustulit. In eo momento vidi descendente sanctissimam Trinitatem, & cognovi hoc mysterium. Assumpsit me ad suum pectus, duxitque me ad cœlestem Jerosolyman, ac detinuit intra se diu fruente, eo Domino. Postea me ex se exposuit, & aspiciebam, quid fieret in illa cœlesti Jerosolyman inter Beatos. Deinde me iterum in se reposuit cum ecstasi. Reversa ad me, Uu z inve-

inveni me in meo lecto. Tum dixi ad Dominum: Quid hoc fuit? & respondit mihi: Volui te distrahere, ostendendo tibi varias vias, quibus te duxi. Dixi rursum: Et illi quinque flosculi, quid sunt? Respondit: Sunt quinque sensus, quos à tua infantia mihi obtulisti, bene ijs utendo ad gloriam meam.

Cùm alio die (in Julio anni 1617) essem vehementer afflicta à meis morbis, dixi ad DEUM: Duc me tecum, Domine, quia jam non possum amplius subsistere. Et non addidi resignationem, quam ordinariè addo, si fuerit tua voluntas: Sed neque hoc dicebam ex me, verùm videor mihi compulsa fuisse ad sic dicendum. Dominus mihi respondit blandissimè: Ergone non vis videre inchoatam fundationem Religionis sanctæ Birgittæ? Tunc respondi: Fiat, Domine, in me tua voluntas. Etiam mei Domini me solabantur, dicendo mihi: Soror, brevi, brevi fiet, esto bono animo, nè te affligas. Quibus ego respondi: Domini, quia ipsi nihil patiuntur, neque sciunt, quid sit pati, cùm id non sint experti, dicunt: brevi, nè te affligas. Illi verò suaviter responderunt: Ità est, Soror, Dominus tamèn nos docet, quid sit pati. Tum ego dixi: Benedictus sit DEUS, qui cùm esset omnipotens, & omniscius, voluit experiri in se, factus Homo, quid sit pati. Post hoc mihi Dominus dixit: Amica, es afflicta, volo te aliquantum recreare; Meis autem Angelis: Ducite illam, ut videat suam cœlestem Patriam. Acceperunt me mei Domini, & vidi plurimos Angelos præcedentes Dominum, atque de me cantantes illam antiphonam, quæ canitur, quando conferunt habitum Monialibus: *Veni sponsa Christi*. Vidique etiam beatissimam Virginem speciosissimam. Dominus me collocavit inter se & suam sanctissimam Matrem, atque hoc modo processit ad Cœlum, durante dicto cantu. Duxerunt me ad Thronum sanctissimæ Trinitatis, ibique mihi exhibuit Dominus, quasi confusè, totam illam cœlestem Aulam, & omnem magnificentiam, quam nulla lingua novit explicare. Deinde me collocaverunt ad pedes Domini,

fuitque quasi per unum momentum (sicut dum apparet fulgur) aperta quadam cortina, & vidi uno momento Divinam Majestatem, ac tum statim me Dominus iussu abduci, & fui subito unita DEO per raptum, reperi me in meo cubicello, quia si ea visio duravisset diutius, existimo, me morturam fuisse.

§. VII.

Iniustis afflictionibus obtinentur iniustitæ gratiæ, & donum perfectionis.

Quadam nocte, ait, (sexta Novembris anno 1616.) mihi videbantur esse tales mei cruciatus, quales experier, si caderer fustibus; quia sentiebam mihi modò hic, modò ibi infligi ictum. Tum mihi dixerunt Angeli: Martyr Domini, adsumus; considera, quid velis pro tuo solatio. Appellationem istam ego verti in jocum, ac dixi: Tantùm volo, ut me adjuvent, nè committam ullum defectum, dum crucior. Illi verò dixerunt: Ecce, dum Sanctus Stephanus lapidaretur, aperti fuerunt Cœli, & vidit gloriam DEI pro suo solatio: ità nunc tibi aperiuntur. Levavi oculos, & vidi quodammodo aperti Cœlos, atque gloriam Beatorum, sicut aliàs videre soleo. Pariebar tunc gravem capitis dolorem. Diu post conspexi veientem Christum JESUM Dominum nostrum, qui ad me accedens, consedit supra meum lectum, suaque manu attigit meum caput. Extimui mirum in modum, quòd ipsum ità viderem sedentem, & recurri ad Dominum, ut DEUM, petens ab eo illuminari, pro cognoscendis ipsius veritatibus, sanctaque ejus voluntate, valde instanter, & perseveranter. Dixit autem mihi: Mitto ad te meum Filium ut te invisat, & consoletur, quare illum spernis? Cui ego: Domine, non facio id, quasi illum spernam, sed nè errem, & propter meos timores. Respondit mihi: Cùm ipsum dederim, ut pro vobis moreretur in Cruce, quid mirum est hoc ab illo fieri? Nihilominus conabar pro viribus a-

verte-

vertere ab eo oculos: sed non potui non, videre accingentem se ad scribendum aliquid, literis quasi cœruleis, quod obstupui, dixeruntque mihi Angeli: Noli timere, quia id quod scribitur, cedit in tuum commodum. Porrexit deinde scriptum cuidam ex ipsis, quod consequenter promotum ab uno ad alterum devenit ad meum Custodem, cui Dominus dixit, ut mihi diceret, quid contineret; nimirum gradus gloriæ, quos consequebar singulis afflictionibus, quas perferebam.

Cum aliàs confedisset in meo lecto, dixi illi: Recede à me Domine, quia sum magna peccatrix. Et respondit mihi: An necis, me venisse in mundum propter peccatores? Cui ego rursus: Recede Domine à me, quæ decumbo in hoc lecto, cum deberem jacere humi prostata. Ipse verò respondit: Ego te detineo in hoc lecto. Et subito transformatus cum magna gloria, me introduxit in suum pectus, dicendo mihi, ut habitarem in ejus corde.

Non pratercamus hic cimelium longè præstantissimum, quod aliquando fabricabant ydem Domini quatuor Angeli.

Vidi illos, ait (in Novembri anno 1614) parantes quendam elegantem torquem, & insuper pretiosam coronam: omnia erant quasi ex auro distincto pulcherrimis gemmis, & cum his in conspectu oculorū meæ animæ abiverunt ad cælum, obtule-

runtque illa Divinæ Majestati, quæ ea benedixit nomine suo, & sui Filij, ac Spiritus sancti. Rediverunt deinde cum ipsis ad me, & cum eo lumine, quod mihi fuerat infusum, me vidi exornatam omnibus illis cimelijs, ac insignibus, quæ ad illud usque tempus susceperam à DEO, ut erat Crux, quam habebam intrà pectus; Annulus, quem mihi dederat in desponsatione; signa Vulnerum, atque Coronæ spineæ, & reliqua. Deinde me adverti ab Angelis coopertam esse quodam pretioso velo, & circumspiciens oculis animæ, vidi Majestatem Christi Domini, qui accepto in manus illo Torque & Coronâ ex manibus Angelorum, imposuit Torquem meo collo, & Coronam capiti, dicendo: Anima mea, suscipe hoc munus in pignus, quod æternum sis futura mea, ita ut nemo possit habere, neque habeat partem in te. Cumque ea mihi incideret cogitatio, quod spectato meo libero arbitrio possem deficere, & peccare; respondit Dominus: Ità est, sicut cogitas: verum ego, non ablatâ tibi tuâ libertate, dabo tibi talia auxilia, & talem virtutem, ac fortitudinem, ut assequaris prædictum finem, qui est Beatitudo æterna, & conservabo in te meum sanctum timorem auctiorem, quàm habueris, priusquam consequeris à me ista gratiam.



CAPUT XX.

Quomodo illi Christus Dominus paulatim manifestaverit, inprimis mysteria suæ Humanitatis, ac deinde secreta suæ Divinitatis, suumque Nomen ineffabile, & quâ ratione his gradibus ascendatur ad tam sublimes visiones.

S Equens visto instruit deditos Orationi, quo ordine illis sit progrediendum ad res tam sublimes, non evolvendo statim ad summa; sed sensim procedendo per gradus, facto initio à Mysterijs minoribus, considerando inprimis quæ sunt exteriora Christi Domini, deinde interiora Cordis ipsius & amoris, ac postea dolorosissimam ejusdem Passionem, donec se eorum reddant participes: tunc enim erunt apti, ut ascendant ad summum gradum, & arcanum ejus Divinitatis, gloriæque aterna. Ità evenit Venembili Marina in decursu vitæ ipsius, quod in hac visione magis exprimitur. Sic verò ait:

§. I.

AGens quodam die cum DEO circa festum Nativitatis (in Decembri anno 1621.) more solito, rogavi ipsum, ut me dignaretur auferre ex hac præfenti vita, si esset ejus voluntas, dixique illi: Mi Domine, Tua Majestas scit, qualis sim, quodq; nullum progressum in virtute faciam: post tot annos, quibus dego in hoc exilio, jam mecum actum est: saltem ne amplius peccem, & nè te offendam, bonum esset tandem finire. Dum ità orarem, immisit mihi Dominus dolorem pedum & manuum, qualem mihi solet tali tempore immittere, quamvis moderatum; & vidi subito Christum Dominum in specie ac habitu, quo versabatur inter homines in mundo, & est, qualem aliàs descripsi. Salutavit me, dixitque mihi: Anima, quid nunc animo volvis? Ego illi respondi, petendo ab eo idem, quod dixeram, quando ipsius Majestas advenerat. Tum me

Dominus est valde solatus, & animavit, atque postquam alia quædam dixisset, vidi quod haberet brachium pendulum. Elevavit autem illud, posuitque manum expansam ante suum Divinum pectus, & vidi vulnus sanctissimæ manus ipsius, quod non erat adeò magnum, neque apertum, sed instar nummi, quem regalem dicimus. Postea amovit Divina Majestas manum, & aperuit pectus, ubi conspexi ipsius sanctissimum cor admirabiliter, absque apertura vestis, vel Corporis, sed acsi illud viderem intrâ vitrum. Erat pulcherrimum, instar elegantissimæ gemmæ, & prodibat ex eo quidam splendore ac radij Divini, pertingentes usque ad meum cor, communicantesque ipsi magnam illius virtutem, & amorem ardentissimum, ac maximum erga homines. Ità modicum sum fructa hæc Divinâ communicatione, & Dominus reposuit manum extensam, ad suum pectus, textitque cor. Rogavi Dominum, ut dignaretur, si ipsi placeret, me auferre ex hac præfenti vita, & facere, ut morer ab hinc doloribus, qui me distingerent, ac impedirent, nè obirem quietem. Quod mihi Dominus concessit, dixitque: Ubi hoc tempus advenerit, ego occupabo spiritum tuum, atque, ne priveris usu sensuum, abstraham tali raptu, ut te non perturbent dolores, utque audias, ac intelligas. Et datâ mihi suâ sanctissimâ benedictione, desijt tum à me videri.

§. II.

PAULò post ingressus est meum cubiculum quidam sanctus Angelus, gestans in manu elegantem ac speciosum corbiculum, intrâ quem ferebat quædam cimelia, omnia coopertissima floribus. Et cum

venisset ad meum lectum, uno genu curvato mihi dixit: Serva DEI, accipe hoc munus, quod tibi mittit Dominus Majestatis. Ego valde extimui, & dixi: Domine Angele furgat, nè hoc faciat, quia sum magna peccatrix, ac vilis creatura DEI. Diu disceptavimus; ipse tamen noluit furgere, imò me multum animavit, ac dixit: Soror, noli turbari (eram enim vehementer turbata) sed bono animo esto: cape & accepta hoc munus, quod tibi Dominus mittit. Ego tota perplexa, extendi manum ad ea, quæ habebat in corbiculo; & quamvis illa vellem apprehendere, non poteram, quia mihi elabebantur ex manu, vel quod essem tantoperè turbata, aut quia sic fieri permittebat DEUS. Tandem ea reliqui; ita ut nec sciverim, neque viderim quidquam. Sanctus meus Angelus Custos, qui aderat, & quidem ad caput mei lecti, dixit Angelo fletenti: Angele DEI, surge. Hæc serva DEI est turbata. Da mihi istum corbiculum, & hoc munus, quia ego illud suscipiam nomine ipsius. Sanctus Angelus surrexit, & recessit unâ cum Angelo meo Custode, locuti quæ sunt simul secreto, me ignorante, quid loquerentur. Meus Custos suscepit corbiculum, & ambo simul venerunt ad me cum alijs quinque meis contubernalibus Angelis. Idem Custos meus aperuit corbiculum, & vidi in illo adferri tres clavos, quibus Dominus fuit crucifixus, madentes ipsius sanguine, atque per speciale lumen, quod mihi Dominus ad id dederat, vidi & agnovi esse illos ipsos clavos, quibus Dominus fuit confixus, qui ex mera sua infinita bonitate mihi voluit præstare istum favorem, & gratiam, quam nunquam promerueram. Vidi ipsos, & adoravi, cum maximo meo solatio. Tum sanctus Angelus meus Custos apprehendit meam manum, & ille Angelus accepit unum clavum ex tribus, transfixitque eo meam manum, aperiendo foramen antiquum, quod in illa habebam, & erat quasi clausum. Ac deinde accepit alterum clavum, & idem fecit in altera manu. Postea accepit tertium clavum ad suam manum, tradiditque illum sancto Angelo *Parvo Pa-*

nympho, quem ille Angelus arripuit, eoque aperuit utrimque foramen pedum, in primis in planta cujusque pedis, ac deinde supernè. Et in isto clavorum contactu fuit commixtus sanguis mei Domini cum meo, ita ut clavi tingerentur meo sanguine, & vulnera perfunderentur sanguine, quo madebant clavi mei Domini. Licet verò senserim dolores in pedibus, & manibus, non fuerunt tamen tanti, quantos alias patior, sed suaves, & pleni solatio: Dominus enim volebat antiqua vulnera occludi, atque dolores supernaturales tolerantur tanto cum solatio, ut confortent, & minus sentiantur, quam ij, quos ordinariè patior. Hoc peracto, clavi fuerunt repositi in corbiculo, quibus receptis, Angelus mihi dixit: Anima, quid vis nunciari Domino, qui tibi præstitit hanc misericordiam, & tantam gratiam? Ego respondi, me reddere Divinæ Majestati infinitas gratias pro magno beneficio, ac misericordia mihi præstita, meque exoculari ipsius sanctissimos pedes. Ità se expedivit à me Dominus Angelus, & abivit.

§ III.

PAULO post vidi rursus Christum *JESUM* Dominum Nostrum satis diu, qui se deinde subduxit meo conspectui. Reperi autem me coram Majestate Domini DEI, qui mihi comparuit absque ulla specie & figura, meque secum univit quâdam unione valde Divinâ, & arctâ, atque ita unitam eduxit ad aliam altitudinem, valde eminentem, ubi mihi per suum specialissimum lumen ostendit magnalia sui Divini Esse, Bonitatis, & Misericordiæ, nec non bona, quæ pro me asservantur in cœlesti Gloria, aliasque res tam admirabiles, ut illas cor humanum non capiat, neque possint exprimi, nisi dicendo: *Est aliquid amplius, quàm hoc.* Obstupui, fuique attonita, & quasi mihi met erepta, dixi illi: DEUS, & Domine mi, quod est nomen ejus? Dicat mihi: An, Rex Regum, & Dominus Dominantium? Omnes tituli sunt inferiores ipsius dignitate; neque inveniēbam, quomodo illum compellarem. Tum mihi respondit Divina Majestas:

Ego

Ego sum, qui sum, & hoc est Nomen meum. Solus ego à me, & ex mea essentia habeo, quod sum. Licet verò essem intrà hoc summum, adeoque Divinum Bonum, nihilominus, quando me vidi tam elevatam, timui, dixique in animo: si me DEUS hinc dimitteret, quid fieret? annihilarer. Et Dominus respondit meæ cogitationi: Bene dixisti. Universæ creaturæ à me dependent, & omne ipsarum esse pendet à mea Providentia; ita ut, si illas deserere, redigerentur in nihilum: verum tu noli timere, quia te non deseram. Addiditq; Dominus: Aspice illuc versus. Conjeci oculos ad eam partem, quam mihi Dominus designaverat, ac aspexi procul. Et cum mihi appareret maximum quoddam spatium, quod quàm longissimè extendebatur, & erat admirabilis cujusdam coloris, vidi quasi in quadam æternitate Divinam mei prædestinationem, quâ me ab

æterno DEUS prædestinaverat. Rursumque mihi dixit: Noli timere, quia te non deseram. Et datâ mihi suâ sanctâ benedictione, disparuit.

Ex hac visione patet, quomodo DEUS sensim elevet ad tum mirabiles visiones. Partitione autè procedit in reliquis elevationibus Spiritus. Quâdam vice, ait, elevavit Divina Majestas meam animam, abripuitque illam modo quodam valde insulato. Videbatur mihi ex meo pectore, & toto corpore prodire quidam vapor, instar lucidæ, delicatissimæ, & subtilis nubeculæ, quæ paulatim & suavissimè ascendebat sursum, taquam aliquis fumus suaveolentis incensi, donec perveniret ad thronum Divinæ Majestatis, & ad ipsius Divinum pectus, atque cor, cumque ibi substitisset, cum magno meæ animæ solatio, sensu ingentia bona.

☉*☉

CAPUT XXI.

Quomodo illam DEUS deduxerit per terribiles scalas ad quendam profundissimum locum, ostenderitque ipsi modum Judicij finalis, & infernum, atque cœlestem Gloriam: ut agnosceret mala, à quibus liberantur ij, qui pro DEO patiuntur, & bona, quibus perfruuntur.

P

Aucas habuit revelationes Venemibilis Marina de Judicio, & Inferno, quia illam DEUS magis ducebat spiritu amoris, quàm timoris, & quando ipsi spectanda exhibebat ista horribilia, non faciebat id quasi intenuando illi minas, sed prestando beneficium, ut videret, à quàm horrendis malis eam liberaret, utque suis orationibus, juvaret animas viventes in periculo, ne illa incurrant.

S. I.

In primis, quâdam vice illi ostendit terribiles scalas, differentes à reliquis, & post hæc modum, quo instituentum est extremum Judicium, istâ occasione. Dum mihi vi-

derer quodam die, inquit, esse proxima meæ morti, dixi ad DEUM cum magno animæ meæ affectu: Mi Domine: benefecerimus, si iniverimus rationem peccatorum, ac defectuum, quos commisi adversus tuam Divinam Majestatem, nec non gratiarum, & misericordiarum, quas suscepi ex tua Divina manu. Cum id dicerem, occurrit mihi, disponente Domino, ille versus Psalmi Davidici: *Non intra in judicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Tum dixi Divinæ Majestati: Mi DEUS, nihil aliud magis opto, quàm ut me immergam in mare tuarum misericordiarum, & in flumen sanguinis Christi JESU Domini Nostri, ubi eluam mea peccata. Interea audivi me vocari à sancto meo Angelo Custode;

stode, cui respondi altâ voce, ita ut me possent audire adstantes, & dixi: Mi Domine. statimque me rursus recollegi. Vocavit me autem secundò, & feci idem. Vocavit me & tertio, dixitque mihi: Demitte oculos, & aspice. Atque tum mihi ostendit quasdam scalas, quæ videbantur esse combinatæ ex funibus, & habere distantes ab invicem gradus, valde arduos, transitus quoque ac descensus illarum erat difficillimus, quia vehementer nutabant, & una earum extremitas adhærebat terræ, altera verò tangebatur quandâ immensam profunditatem, ut mihi infra videretur esse quædam abyssus. Sub iisdem scalis decurrebat maximus ac rapidissimus fluvius, iuxta quem erat vorago terræ, plena feris animalibus, instar leonum, pantherarum, canum, & aliorum, adeò ut qui decideret ex illis scalis, ruiturus esset vel ad fluvium, vel inter illa animalia. Angelus mihi dixit: Anima, descende per has scalas. Ego vehementer timui, ac dixi: Domine, quomodo debeo descendere, quia ruam, & submergar? Sanctus Angelus autem dixit: Debes per illam descendere sola, & nullo juvante. Incepi igitur descendere cum aliquo metu, & valde lentè, nè ruerem. Bestiæ illæ, quando me viderunt descendentem, aliæ latrabant, aliæ rugiebant. Et postquam pervenissem ad terram, omnes me circumdederunt, quamvis non adeò propè, atque ibi fuerunt longè majores omnium mugitus & latratus. Non nocuerunt mihi tamen, quamvis quædam tangerent meas vestes. In eodem loco inferius conplexi meos Dominos Angelos, & magnum cepi solatium ex ipsorum aspectu. Illi me duxerunt ad quendam planum campum, & ex hoc ad alium, ubi vidi Majestatem Christi JESU Domini nostri, confidentis in throno Regio instar Judicis, circumdabatur ab Angelis, judicabaturque vivos ac mortuos, quem admodum fiet in die Judicij, & habebat à dextris bonos, atque à sinistris malos. Audiivi sententiam, quam Dominus pronuntiabat, dicendo ad bonos: Venite benedicti Patris mei, ad bona & gloriam æternam. Esurivi enim, & dedistis mihi man-

ducare, & reliqua, quæ dicit Evangelium. Ad malos autem: Ite maledicti à Patre meo ad poenas æternas, quia fui pauper, & non me cibavistis. Ego tremebam præ timore in hoc tam terribili ac severo actu, coram illo supremo Judice. Postquam autem pronunciavisset sententiam, mei Domini Angeli me duxerunt ad thronum, qui habebat aliquot gradus, collocaveruntque provolutam in genua coram Domino, qui me liberabit à metu, dicendo mihi: Quid times? Veni, Anima benedicta à Patre meo, ad bona æterna, quia fui pauper, & subvenisti mihi. Tum ego respondi meo Domino, absque timore: Mi DEUS, & Domine mi, quando tibi ego subveni? cum nunquam fecerim quidquam boni, vel quod esset acceptum tuis oculis? Quando ego tibi aliquid dedi, cum sim miserabilis mendica? Dominus autem mihi peramanter respondit: Ità, subvenisti. Quia eo ipso, quod ego tibi dedi, tu succurristi, & providisti multis Virgibus egenis, & orphanis, illasque meo obsequio dedicavisti, collocando ipsas in Religione, quod opus mihi est gratissimum, agnovique me optimè à te adjutum in illis, id ipsum quoque quod habes vis similiter impendere. Hoc dicto, Dominus, non jam ut Judex, sed ut DEUS ac Dominus, cum magna gloria & majestate, qualis erat in eodem throno, ascendit ad cœlestem Jerosolimam cum comitatu millium Angelorum, atque ego nã fui ducta post Divinam Majestatem. Quando perveni ad cœlestem Aulam, Dominus mihi ostendit gloriam, quam contulerat Beatis. Hæc visio fuit admirabilis, & instar fulguris, quod celeriter transit. Dixitque Dominus: Hæc est gloria, quæ rependitur ijs, quos benedixi, & qui mihi subvenerunt.

§. II.

MEi Domini Angeli mihi deinde exposuerunt significationem scalarum, quæ erat hujusmodi, quod volentem tendere, ac pervenire ad perfectionem vitæ spiritualis, oporteat transire ac descendere per eas scalas tam difficiles: dictum autem

X x

mihî

mihî fuisse ab Angelo, ut descenderem sola, absque comite, idè, ut significaret mihi à DEO tot collata fuisse subsidia, & auxilia, ut potuerim optimè sola per scalas descendere.

Quod Marina dicit de significatione earum scalarum, majore indiget declaratione, quâ explicabuntur dicta ab Angelis. Non enim ista scala, per quam ascenderetur ex terra ad Cælum, sed descenderetur in spiritu ex terra ad infernum, idè, quod denotat quoddam genus afflictionum valde horribilium & periculosarum, à quibus anima videtur deturbari in quandam abyssum malorum, quales sunt tentationes, & persecutiones demonum, utentium mugitibus & latratibus nostrorum passionum, & concupiscentiarum, ac dolorum & afflictionum, atque angustiarum animæ, quæ videntur esse imago quadam Inferni, quando accedunt derelictiones interne DEI, postquam sustulit solatia sensibilia, & reliquit animam solam, quasi solis viribus naturæ illi sit pugnandum: quamvis ipsi nunquam auferat sufficientissima & secretissima auxilia, quibus vincat ejusmodi afflictiones, representatas per has scalas tam difficiles, eo quod circumdata sit à tot hostibus ac periculis; & quia nititur propter mutabilitatem, quam natura ex se habet in incurribus & aggressionibus tentationum, quæ tamen per DEI gratiam illi non nocent in spiritu, quamvis ipsam tangant in illius vestitu, qui est Corpus. Descendit autem sola, quia tunc cessant visiones, solatia & gratia extraordinaria, tumetsi illi sufficiant ea, quæ accepit, ut subsistat. Sed sine dubio ipsi DEUS assistit invisibiliter, & occultè, ut illam detineat, ne labatur, & cadat. Quamvis porro videatur reverà descendere in spiritu; ascendit nihilominus & proficit, dum sic probatur à DEO: & propterea illi statim ostendit Judicium finale, in quo manifestantur omnes veritates.

§. III.

Distinctius ipsi DEUS spectandum exhibuit alias Infernum, & Gloriam cælestem, hoc modo. Dum paterer, inquit, quodam die (anno 1606.) magnam defo-

lacionem internam, fuit ducta à Domino ad maximam quandam voraginem ac profunditatem, cumque me viderem ita demersam atque detrusam ad abyssum terræ, incepi vehementer affligi, & nisi advertissem me degere in præsentia ac protectione DEI, ipsiusque infinitæ potentie, perissem: Verum, dum me ita invenirem conjunctam DEO, animabam me, & aspiciebam, quâ irem, transiendo ab una profunditate ad aliam majorem; donec pervenirem ad quoddam mare tam vastum & immensum, quàm est totus mundus, quod propter fetorem erat incredibiliter horribile. Transivi ab hoc mari, & veni ad aliud, quod habebat aquam salinam, & pessimè olentem, ac deinde ad aliud ignis terribilissimi; & inde ad aliam profunditatem, ubi vidi damnatos in suis tormentis, tanquam in obscurissimo carcere, & in cacabis refertis pice, sulphure, aliisque innumerabilibus & atrocissimis cruciatibus. Non stiti hîc, sed transivi ad alium locum, ubi degunt damnati in majoribus, & horridioribus pœnis, ac tormentis æternis; & hinc fui educta, ac reversa sum ad istam mediam regionem, ut sic dicam, invenique me in meo lecto, ubi mihi dixit Dominus: Ab his, quæ vidisti, liberantur ijs, qui patiuntur amore mei; significans mihi istis verbis, ut, si aliquid paterer, id æstimarem, siquidem ita liberarer à talibus ac tam horrendis tormentis. Non cessavit hîc Divina Majestas, sed subito me iterum secum duxit, non jam ad Infernum, sed ad cælum. Et quamvis ego modicum repugnaverim, neque sciam quare, abduxit me repente, ostenditque mihi divitias, ac abundantiam Beatitudinis, & postquam rediissem ad meum lectum, dixit mihi: A pœnis, quas vidisti in Inferno, liberantur, qui patiuntur mei amore; delictijs autem, & gloriâ, quam vidisti in cælo, fruuntur, qui patiuntur mei amore, adeo ut ab uno sint immunes, & altero potantur.

Quodam die conplexi in meo cubiculo quandam sellam, cui erant insertæ pœnitentiæ, similes ijs, quæ hodie sunt in usu pro bajulandis fœminis, & quatuor Angelos

DEL

DEI, qui me in illa volebant portare, unaque truculentos quatuor dæmones, qui aderant aliquantum remoti. Ego dixi Angelis: Domini, nè se fatigent, quia nullo profus pacto consentiam, ut ipsi me ferant in sella. Responderunt autem: Vel à nobis ferenda es, vel ab illis dæmonibus. Et ego aiebam: Malo, ut sellam ferant illi dæmones, quàm ut me sinam ab ipsis bajulari. Venerunt itaque diaboli, & acceperunt sellam: postquam ego in ea confissem, tuleruntque me cum magno meo timore. Sed dum viderem euntes mecum sanctos Angelos, & meum Custodem, sui vehementer animata. Volebant me diaboli præcipitare, sed non poterant; imò me bajulabant valde suaviter, & paulatim, ad suam indignationem, ità ut agerentur

in rabiem. Cùm transirent quendam fluvium, turbaverunt totam aquam, sed nihil aliud potuerunt efficere. Portaverunt me ad fauces Inferni, & voluerunt me eò injicere, sed non potuerunt. Ibi mihi forissecus fuerunt ostensa supplicia damnatorum, quos vidi patientes, id quod me vehementer consternavit, ac perterrefecit. Cruciabantur omnes mixtim animæ ac dæmones. Inde me tulerunt ad portas cæli, ubi me statim reliquerunt dæmones, ac disparuerunt. Expectabat me autem ibi Dominus, univitque me secum arcifimè, & manifestavit mihi gloriam Beatorum, cum maximo meo solatio, sicut aliàs.



CAPVT XXII.

Quomodo DEUS impresserit ejus cordi sigillum Crucis, cum mysterio Sanctissimæ TRINITATIS, inculperitque mysticas Cruces ipsius manibus, pedibus, ac lateri, dando illi pretiosa munera, quæ erant symbolum sublimissimæ perfectionis.

In sequentibus visionibus, videbimus expressa prodigiosa munera, quæ DEUS dat animabus, cum quibus agit familiariter, & quas exercet afflictionibus, suntque symbolum fructuum, qui ex hac conversatione cum DEO colliguntur, tam pro illarum, quàm etiam pro proximorum utilitate.

§. I.

Dum essem vehementer afflicta doloribus, dixi Christo Domino submissimâ voce: (in Decembri anno 1614.) Pridem te Domine non vidi; qui se mihi statim videndum exhibuit, cum solita magnificentia ac majestate, dicendo mihi: Vidésne me hîc, quid à me vis? Ego illi exposui omnes meos defectus, petendo ab ipso veniam illorum, ac remedium. Postea mihi ostendit in suo pectore parvum

quoddam quasi Reliquarium, dixitque mihi: Aspice, scisne quid hoc sit? Aspexi, neque agnovi quid esset. Dixit secundo: Aspice denuo. Aspexi, & similiter non agnovi, quid esset. Tum Dominus illud apprehendit suis duobus digitis, absconditque in manu, dicendo mihi: Cùm nescias, quid sit, maneat ità. Ego valde optabam videre, & scire quid esset. Tandemque Dominus mihi illud iterum ostendit, prosternentibus se Angelis in terra, ac advenientibus de novo alijs cum accensis cereis, dixitque mihi: Modò aspice. Vidi in medio hierothecæ parvam quandam Cruculam, in medio duarum imaginum, quas non discernebam. Dominus verò mihi dixit: Hæc est quædam veluti species atque figura Mysterij Sanctissimæ Trinitatis, & ego in Nomine mei Patris, ac meo, & Spiritus sancti, tibi volo præstare insignem gratiam, darèque tibi grande donum. Et hoc dicto, posuit illam hiero-

thecam supra meum latus sinistrum, ubi habeo signum vulneris, ac si imprimeret sigillum molli ceræ, obsignans illo meum cor, atque in momento me sensi totam possessam, atque occupatam à sanctissima Trinitate cum admirabili Unione, quæ fuit majorem in modum debilitata. Verum Angelus meus Custos, tangendo bis terve meum caput, me confortavit, ac recreavit, & Christus Dominus mihi dixit: Cum ego tibi contulerim hoc donum, da mihi etiam tu aliquid. Ego illi respondi: Domine, quid habeo, quod jam tibi non dederim? sed si rursus vis, ut tibi dem meum cor, ecce hic illud do. Responditque Dominus: Sit ita, da mihi tuum cor. Tum sanctus Angelus duobus digitis, per illum locum vulneris in latere, exemit meum cor, & posuit coram Christo Domino. Ardebat instar ignis, & vidi in ipso illam inscriptionem: *Hic hospitatur JESUS*, tribus exaratum lineis, ita ut in singulis essent singula verba. Dedit illi Dominus suam benedictionem, præcepitque Angelo, ut mihi illud restitueret, quod ipse reposuit suo loco, & expediens se à me, mihi disparuit.

§. II.

Admirabilior & gratiosior est sequens visio, quam refert hunc in modum, & accidit 18. July, anno 1612. Dedit mihi Dominus his diebus novum quoddam & intimum desiderium exequendi in omnibus rebus sanctissimam ipsius voluntatem, meque cum illa conformandi, id quod ardentibus affectibus ab ipso frequenter petebam. Quâdam vice, adverti Majestatem Christi JESU Domini Nostri esse in meo cubiculo, cum comitatu multorum Angelorum. Ad strepitum in ingressu circumspexi, & vidi ipsum in specie & veste, quam habebat & gerebat vivens in mundo, atque per lumen, quod mihi dedit, cognovi ipsi Divinitatē, ac Personam Verbi Divini, quæ inerat illi sacræ Humanitati, eidemque uniebatur, & mei sancti Angeli humi prostrati illum adorabant. Eram vehementer turbata, sicut soleo, neque ipsum audebam intueri. Videns Dominus meam tur-

bationem, incepit obambulare in cubiculo cum magna gravitate, & autoritate, ad paucos passus, ter quaterve se convertens, quasi expectans, donec essem bene disposita pro gratia, quam mihi erat præstiturus. Quando Divinæ Majestati visum est, stitit in medio mei cubiculi, dixitque mihi: Creatura, quare alteraris, ac turbaris? quid times? Ego sum Dominus DEUS tuus, qui loquor tibi; ego sum, noli timere. His dictis, conquievi. Deinde addidit: Tu vehementer optas, te in omnibus conformare cum mea sacrosancta voluntate. Ut id diligentius & perfectius faceres, veni ad reddendam te conformem meo cordi, conferendumque tibi aliquod donum meâ manu, quod tibi erit utile, teque magnopere hac in re juvabit; accipe. Et cum imponeret Divina Majestas suam manum, quasi in sacratissimum luum finum, extenderetque illam statim verius me, vidi quod in illa haberet quandam elegantem gemmam, instar cordis, & dixit mihi: Accipe, Anima, hoc donum. Ego fui usque adeo turbata, & obstupui bonitatem ac affabilitatem mei Domini, ut illi dixerim: Non, mi Domine, non jubeat hoc Tua Majestas, quia sum magna peccatrix, & miserabilis, indigna tali misericordia, quod sæpe repetebam. Cumque viderem Dominum persistere in illo mihi ostendendo, dixi: Dominus meus sanctus Angelus hic adest, ipse illud poterit suscipere meo nomine. Tum Sanctus Sanctorum mihi respondit quàm mansuetissimè: Sit ita, per me licet. Accessit sanctus Angelus ad meum Dominum, & prosternens se coram Divina Majestate, ac erigens, suscepit cor, veniensque ad me, posuit illud intra meum pectus, & intronisit in animâ, unde fui multum confortata, & egi magnas gratias Domino, pro favore mihi præstito.

Deinde mihi dixit Dominus: Anima, jam ego tibi dedi meum cor, quid tu habes, quod mihi modo reddas pro hoc beneficio, & misericordia, à me tibi præstita? Da aliquid mihi, quod tuum sit. Respondi: Mi DEUS, ac Domine mi, quid mihi ego possum dare, quæ sum miserabilis, ac pauper creatura tua, & universa quæ ha-

beo

beo, anima, corpus ac voluntas, omnia tua sunt, quia tibi jam omnia dedi. Si vis meum cor pauper & immundum, ut illud purifices ac mundes, accipe id, mi Domine. Dominus mihi respondit: Sit ita, licet da mihi tuum cor, quod ego perficiam. Postquam id dixisset, meus sanctus Angelus Custos venit ad me, & exemit ex me cor meum, quod vidi in ipsius manibus, & clarè agnovi esse carneum. Tulit illud ad Dominum, quod ejus Majestas suscepit, ac servavit, dicendo: Ego illud perficiam, ego illud reddam conforme meo; sed addidit: Anima mea, priusquam abeam, volo tibi conferre aliud donum, quod tu ipsa ex mea manu suscipias. Et vidi, quòd haberet in suis manibus aliquid valde splendens, ac pretiosum; quod ubi vidissem, concepi summum erga illud affectum, atque sine mora sanctus Angelus me duxit eò, ubi erat Dominus, ubi humi prostrata ipsum adoravi. Elevavit me statim, extendi manus, & conjunxi, ut susciperem illud donum, quod mihi ipse Dominus porrexit, erant autem viginti quatuor nummi coronati ex purissimo auro splendidissimi, & singuli habebant in medio quendam quasi claviculum, seu cuspidem. Accepi illos, & compressi fortiter manus, cum magna aviditate, nè mihi exciderent. Hi nummi erant figura ardentissimi, fixique in corde Amoris DEI, quia aurum significabat ardentem amorem; & clayus, quòd iste amor esset quasi acclavatus, ac defixus in corde. Egi magnas gratias meo Domino, pro beneficio mihi collato, & ipse discessit à me, dicendo: Anima, es plurimum ditata, vale. Atque dum Divina Majestas manum, quam habuerat elevatam dimitteret cum magna gravitate, ego accessi & osculata sum illam, applicuìque meis oculis, & ori. Dominus autem ipsam subito elevavit, deditque mihi suam sanctissimam benedictionem quàm amabilissimè, imposita etiam suà sanctissimà manu meo capiti.

Postquam ad me redij, sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Anima mea, es vehementer avara ac dives, propter tuos aureos nummos. Quid cogitas cum illis

facere? Cui ego respondi: Angele mi, conserva mihi illos. Nequaquam (dixit Sanctus Angelus) bene feceris, si eos distribueris proximis. Cumque ego tacerem, respondit secundo: Eja, distribue illos, & cogita, cui possit prodesse, si illi aliquis donetur. Tum respondi: Sit ita, Angele sancte: Vellem unum dare cuidam Personæ vehementer afflictæ, tribulatæ, ac desolatæ, quam novi, & nominavi. Sanctus Angelus respondit: Bene dicis. Mitte illi ipsi. Alterum vellem dare cuidam infirmo, qui patitur graves dolores, & magnopere indiget cœlesti auxilio, ad eos tolerandos. Daos autem vellem dare duabus Personis, quibus sum obligata, quas etiam nominavi. Et sanctus Angelus dixit: Bene facis, mitte illos ipsis. Atque statim unus sanctus Angelus ex meis, acceptos eos nummos ex mea manu illis tulit.

§. III.

ALio die (in Januario anni 1622.) venerunt ad me Domini mei sancti Angeli, & dixerunt mihi: Soror, valde es fatigata, & afflictæ, Dominus nobis mandat, ut te aliquò ducamus, ubi aliquantum releveris, tam in spiritu, quàm in tuo corpuseculo. Veni nobiscum. Ecce feremus te absque ulla tui corporis molestia. Vidi, quòd haberent preparatam quandam lecticam mirabilem supernè apertam, in qua me posuerunt, ac tulerunt ad quandam eminentem altitudinem, unde poterant admiranda spectari; ibidemque mihi ostenderunt, quidquid mihi potuit adferre levamen, solatium, oblectationem, gaudiù & quietem, usque ad beatitudinem, & illam sufficientiam omnium bonorum, ut nihil superesset amplius, quod desiderarè. Atque in eo loco mansi satis diu. Cum jam videretur esse tempus, ut me referrent ad meum angulum, vidi Majestatem DEI Domini nostri, qui mihi dixit: Soror, esne hïc? Bene veneris, quis te huc tulit? Quiesce, & respira à tuis afflictionibus. Nolo autem, ut abeas ex mea domo vacua, quin auferas aliquod donum. Et vidi, quòd Divina Majestas haberet in sua sanctissimà

ctissima manu quandam parvam Hierothecam Eucharisticam, atque intra illam sanctissimum Sacramentum Altaris. Tene, agebat Dominus, ac fuscipe hoc donū. Et dico tibi verè, quod ab hodierno die, in omnem deinceps vitam tuam, sis futura quædam Hierotheca Domini, existentis in Sacramento. Accipe, quod tibi dono. Inveni me statim solatio plenissimam, sensique eosdem affectus in mea anima, quos experiri soleo post sacram Synaxim: & quotiescunque recordor istius mysterij, iisdem moveor affectibus, sempèrque præsentem meæ animæ DEUM reperio.

Octiduo post venit ad me sanctus meus Angelus Custos, apprehenditque meum brachium, & consideravit diutissimè superiorem partem manūs. Dabat quoque signa omnibus reliquis Angelis, ut convenirent ad spectaculum, qui erant quasi attoniti, aspicientes aliquid, quod ibi erat, cum magna attentione. Ego etiam aspexi, sicut ipsi, vidique clarè, me habere in manu exsculptam parvam quandam Crucem, atque in illius medio parvam splendidissimam stellam. Postquam vidissent hanc manum, contemplati sunt alteram, quam ego similiter sum contemplata, vidique idem, quod in priore: ac deinde

consideraverunt pedes, & ego etiam illos consideravi, vidique me in quovis pede habere parvam Crucem, & in ejus medio quendam quasi nummum aureum elegantissimum instar stellæ, quem sancti Angeli fixè intuebantur, quasi obstupefacti, quod viderent illam novitatem ac mysterium.

Accesserunt etiam ut contemplarentur cor, quo viso prostraverunt se in terra cum magna reverentia, positisque humi suis capitibus, permanserunt aliquamdiu in eo situ. Ego quoque inspexi meum cor, quod apparebat instar alicujus elegantis gemmæ, & habebat quandam profunditatem, plurimarum rerum capacem. Vidi Dominum, cui Angeli exhibebant reverentiam, & quidem tribus modis: Nimirum existentem in Sacramento, deinde instar parvuli dormientem; præterea vidi absque ulla figura Divinitatem ipsius, & Essentiam. Plurimum sum mirata, videns tam Divina mysteria, & sancti Angeli etiam assurrexerunt, vehementerque impetentes contemplabantur, quæ ibi erant. Ego sui mihi restituta post illam ecstasim, & quando ad me redij, erat mysterium illud finitum.

